

DE AMORVM IN ARTE ANTIQVA SIMVLACRIS
ET DE PVERIS MINVTIS
APVD ANTIQVOS IN DELICIIIS HABITIS

COMMENTARIOLVS CATVLLIANVS ALTER

SCRIPSIT

THEODORVS BIRT

ADIECTAE SVNT TABVLAE X

MARPVRGI
IMPENSIS ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI
MDCCCXCII.

Disputare constituimus de pueris minutis, qui vocantur, apud antiquos imperatoriae maxime aetatis in deliciis habitis. Simul de Amorum pusillorum deorum, quos quidem artis monumenta adprime repraesentarunt, natura et inventione agendum esse visum est. Cum qua quaestione duplici tertiam coneximus quae fuit de interpretatione carminis Catulliani LV. Hoc enim carmen Camerium quendam describit, qui se subtraxerit amori poetae; qui quis et qualis fuerit nondum investigatum est ad hunc diem. Curriculum autem disputationis sic derigendum existimavimus, ut illud Catulli carmen LV paullo emendatius et castigatius, quatenus quidem conceditur, in conspectu proponeremus, deinde ex tardiore hoc negotio ad vitae et artis antiquae considerandas delicias accelerato gradu properaremus.

I. Catulli carmen LV.

Lectiones in Catulli c. LV a librariis imprudentibus pessumdatae a nobis restituendae hae sunt.

Aufugit Camerius; quaeritur »in campo minore«, in porticu Pompeia, alias. Tandem apud femellas eum latere suspicio est.

- 6 Femellas omnes, amice, prendi,
Quas vultu vidi tamen serena,
Auelte sic ipse flagitabam:
Camerium mihi pessimae puellae.
- 10 Quaedam inquit nudum reduc
Hem hec in roseis latet papillis.

Cruciarunt criticos viros maxime versus 8 et 10. Et in versu 8 in quam diversas scripturas vaga coniectura aberraverit, apud editores videri potest; ego non mutabo fere nisi unam litteram initialem AVELTE ex PVELLE ortum esse suspicatus, atque sic legam:

- »Puellae« sic ipse flagitabam.
- »Camerium mihi, pessimae puellae«.

Vocis *puellae* iteratio quam maxime Catulliana; vide modo 31, 8 *male est .. male est*; 42, 1 *quot estis .. quotquot estis*; 42, 11 sq.: *moecha putida .. putida moecha*; similia.

Nec minus ubera divinatio doctorum fuit in v. 10; excogitarunt:

Quaedam inquit: nudum *sinum* *reducens* (Avantius)
velum sinu *reducens* (Baehrensium)
 nudum *sinum* *recludens* (Riesius)
 nudum *reducta pectus* (Ellis).

Quam apte autem sinus quae vestimenti pars est nudus esse praedicetur videant ipsi qui posuerint¹⁾. Mihi constat mutandum nihil esse omnino; patet enim in litteris traditis sicut sunt nihil offendere, sed clausulam tantummodo metri praetermissam esse a scribis; hanc alii aliter supplebunt, is solus recte, qui quae quidem extant integra servaverit. Ipsum *reduc* autem si perpendimus, ad quem magis id pertinere potuit, quaeso, quam ad fugitivum? reduci nempe is solet qui abiit. Ergo exemplum supplementi hoc dabo:

Quaedam inquit: nudum *reduc* et aufer.

Eodem sensu olim Handius: *tu nudulum reduce*, Schwabius: *nudum reduc puellum*. Camerius autem quo iure nudus dicatur, infra reputabitur.

In versu 11 illud *hem* (vel *em* quod est in Oxoniensi) nunc quidem conservo; facile enim in tali interiectione hiatus vocalium excusatur²⁾. Agroecius apud Keil. VII p. 114, 4: »*em* cum increpas ...; *hem* cum dolor iram moverit aut cum admiratio vel cogitatio stuporem.« Inest itaque admiratio. Nec in v. 7 corrigendi idonea causa cernitur nisi quod ex deterioribus membranis aut *serenas* aut *sereno* recipiendum est videlicet; et praeoptamus quidem accusativum, quandoquidem si quis legeret *vultu sereno*, de Catulli ipsius vultu id accipi posset orereturque ambiguitas. Neque vero in eodem v. 7 otiosum erit *tamen*; serenae enim dicuntur mulieres, quamquam easprehendit Catullus; sunt igitur deprehensae; »*tamen*« tantam de Camerii amore confidentiam habent, ut serenum animum non exuant. Denique ibidem quod etiam pro eo quod est *vidi* dactylicam vocem postularunt, frustra fuerunt; solet sane in hoc poemate alternatio esse decasyllabicorum et hendecasyllabicorum versuum; quae tamen lex exceptiones duas habet, quae invicem defendunt, et ipsum hunc versum 7 et versum 14 versui 13 prorsus aequatum; ne addam in carmine LXVIII b, quod quale fuerit mox exponam, hanc legem prorsus sprevisse Catullum.

Iam vero repertus quidem est amicus, tamen puellas relinquere non vult ille »*seque negat*« Catullo (v. 14) neque vero loqui occipit. Itaque adhortatur eum poeta:

15 Dic nobis ubi sis futurus, ede
 Audacter [hoc] committe, crede lucei;

in quibus illud *crede* post *committe* si quis debile putet, perpendat mihi quam variam lectionem adscriptam offert Sangermanensis, *crude*; et crudus certe haud inepte puer appellabitur, qui amori restiterit. Sed enim longe haec removenda; tolerandus est et usque tolerabitur ipse duplex imperativus *committe crede* ad unum dativum relatus; quin

1) Id recte olim reiecit F. Handius »Q. Valerii Catulli carmen LV in antiquam formam restitutum.« Jenae 1848, item Baehrensium in comment. ad l. tandem sese ipsum corrigens.

2) cf. O. Ribbeck symb. ad partic. Lat. p. 30 et 35.

etiam plane cum proprio studio sic eum cumulate extulit Catullus; quod cur ita fecerit sub finem huius libelli exponere licebit.

Quid vero dicet Camerius quidve luci committet? Ecce reliquit omnino; nam in versu 17 qui sic in membranis potioribus scriptus est:

Nunc te lacteolae tenent puellae

verba agnoscuntur Catulli; sunt autem ea prorsus supervacanea; puellas enim esse quae teneant Camerium diu compertum habet. Sin autem quis *Num* pro *Nunc* rescribat, molestia haec haudquaquam tollitur. Ego credideram locum ita constitui debere, ut essent quidem haec Catulli verba, sed ut quasi diceret ea et suggereret Camerio suo pertinaciter tacenti, itaque conieciavi

»Me unctae lacteolae tenent puellae.«

Quam equidem scripturam ipsam quoque sub commentarioli exitum pluribus dilucidabo.

At vero quibus pergit Catullus v. 18 *si linguam clauso tenes in ore, fructus proicies amoris omnes*, ea certe concinne scripta non sunt; exigebatur enim aut *si tenebis, proicies* aut *si tenes, proicis*. Nec id libri boni, immo vero *tenens* praecise scriptum offerunt. Ergo reficiatur:

Sic linguam clauso tenens in ore
Fructus proicies amoris omnes.

Denique iidem libri in versu postremo 22

Dum vestri sis particeps amoris;

id quod sensu cassum est; *nostri* pro *vestri* libri inferiores; id licet auctoritatem parvam habeat, tamen arridere possit; nisi forte hoc contra monendum est »participem esse amoris« satis mire dici de amato, siquidem unice hic amatus sit; etenim particeps amoris is proprie erit, qui partem tantum amoris neque plenum ceperit. Propterea *vestri* ex libris G et O assumere malo, sic ut rescribam cum Scaligero, Handio aliisque:

Vel, si vis, licet obseres palatum
Dum vestri sim particeps amoris.

Cum puellis amorem habet Camerius; in eo amore partem etiam Catullus se habere velle profitetur. Qua lege autem Camerius inter plures communicare amorem potuerit, mox perscipietur.

Quibus praemissis iam totum poematum ioci plenum et veneris hoc loco exhibebimus:

c. LV.

Oramus, si forte non molestum est,¹⁾
Demonstres ubi sint tuae tenebrae.
Te campo quaesimus²⁾ in minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
5 Te in templo summi Iovis sacro,
In Magni simul ambulatione.

1) *molestus es* libri scripti.

2) *quaesivimus* libri perperam; de hac mea emendatione dubito, facillime tamen aio explicari corruptelam, si *quaesimus* quasi priscam perfecti formam datam esse a Catullo supponimus; id *quaesimus* facile distrahebant librarii veri ignari sicut iidem c. 14, 14 *misisti ex misti*; cum ipsa autem contracta forma talia conferantur velut *nomus* Enn. fabul. v. 113 Muell.; *suemus* Lucret. I 301; *consuemus* Prop. Monob. 7, 5; Verg. Aen. V 57 *intramus* »pro intravinus« acceperunt antiqui interpretes. *tristi* autem ipse Catullus 66, 30. Et cf. L. Scheffler De perfecti in vi exeuntis formis, Marpurgi 1890 (p. 43 et 47).

- Femellas omnes, amice, prendi,
 Quas vultu vidi tamen serenas;
 »Puellae« sic ipse flagitabam,
 10 »Camerium mihi, pessimae puellae.«
 Quaedam inquit: »nudum reduce [et aufer],
 Hem — hic') in roseis latet papillis.«
- Sed te iam ferre Herculei labos est;
 Tanto te in (?) fastu negas, amice.
 15 Dic nobis, ubi sis futurus, ede
 Audacter, committe, crede lucei:
 »Me unctae lacteolae tenent puellae.«
- Sic linguam clauso tenens in ore
 Fructus proicies amoris omnes.
 20 Verbosa gaudet Venus loquella.
 Vel, si vis, licet obseres palatum,
 Dum vestri sim particeps amoris.

Strophae adornari possunt quattuor, duae hexastichae, totidem pentastichae. De distichis certe quas olim Handius l. l. p. 6 excogitavit mihi persuasum non est; carmina enim quae *κατὰ στίχον* decurrunt, si strophicam divisionem patiuntur, in stropharum fine interpunctio utique locum habebit, cui legi in hoc poemate adprime repugnant versus 17 et 18.

Argumentum idem metri artificio fere eodem, sed tractatione omnino diversa iterum aggressus est poeta carmine LVIII b, quod quidem carmen fore spero ut nemo sanus iam translocari mihi iubeat ita ut cum c. LV in unum consarciatur. Quid enim? nonne etiam basiationem, ut exemplum ponam, his tractavit Catullus et c. V et c. VII? nec erit haec duo qui conflari velit²⁾. Sic autem carmen illud alterum de Camerio deductum est:

c. LVIII b:

- Non custos si fingar ille Cretum,
 Non si Pegaseo ferar volatu,
 Non Ladas ego pinnipesve Perseus,
 Non Rhesi niveae citaeque bigae,
 5 Adde huc plumipedas volatilesque
 Ventorumque simul require cursum,
 Quos iunctos, Cameri, mihi dicares:
 Defessus tamen omnibus medullis
 Et multis langoribus peresus
 10 Essem te mihi, amice, quaeritando.

Locum istum imitatus est Propertius II 30, 3 sq.: *Non si Pegaseo eqs.*, similiterque etiam Ovidius Trist. III 8, 1 sq.: *Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currum eqs.*

1) libri *hec*.

2) Apparet quo iure Handius scripserit p. 6: »Tantum vero abest, ut poetam de una hac re duo carmina fecisse et ad Camerium misisse existimemus, ut hos versus ad ipsum hoc carmen, de quo loquimur, pertinere censeamus.«

Sed enim apud Catullum rhetorica periodus una totum ecce carmen explere videtur; de structura vero dubitationes facile moventur. Scilicet cum *essem* tempore imperfecto legatur v. 10, illegitimum est quod *fingar* et *ferar* praesentia sive futura praecedunt v. 1 et 2; nec potest negari illud *essem* relationem non habere nisi ad *dicares* v. 7, hoc autem solutius scriptum esse pro *si dicares*; denique *si fingar* et *si ferar* protases sunt sine apodosi. Hinc cum magna ni fallor vi necessitatis consectorium est inter versus 1—5 versum unum intercidisse, apodosin qui continuerit. Et facile praesumitur hunc quoque versum olim incepisse ex vocula *Non*, qua decepti oculi librariorum ad proximum versum per lapsum lectionis aberrarint. Elegantias ego quidem non praestabo, cogito autem sic fere processisse sermonem:

Non custos si fingar ille Cretum,
 Non si Pegaseo ferar volatu,
 Non Ladas ego pinnipesve Perseus,
 4a Non Rhesi niveae citaeque bigae,
 4b Non non inveniam tuas tenebras.
 5 Adde huc eqs.

Quibus receptis tandem ut *dicares* et *essem* inter se respondent, ita etiam *fingar* et *inveniam*. In versibus autem 3 et 4^a, licet duriusculi sint, satis habeo mente supplere *si sim* vel *ero* atque vertam: »nicht als Ladas oder als Perseus, nicht als des Rhesus Gespann«; postremum hoc cui dictum nimis temerarie videatur, corrigat mihi: *non Rhesus nivea citaeque biga*.

Discernendum esse carmen hoc LVIII b a carmine LV nec idoneam rationem esse cur fidem codicum intemperantius detrectemus, supra monitum est. Scio sane clarissimos olim viros confusionem carminum decrevisse; sed hac certe in re illi aliud egerunt; non senserunt enim summam illam stili diversitatem, quae inter ea intercedit. Nos neque oleum cum aqua commiscebimus neque equinam cervicem capiti humano iungemus. Prius nempe poema cottidiana loquella utitur, posterius rhetoricum est; alterum in argumento simpliciter enarrando decurrit, alterum magno apparatu fabulari ornatum et oneratum est Perseo, Rheso similibus in comparisonem vocatis. Quod ne sine consilio poetae factum esse credas, etiam iterum attendas velim ad carmina parilia V et VII quae sunt de basiatione; ecce stili in iis discrepantia eadem; carmen enim V cottidianum sermonem, carmen VII plane rhetoricum affectat; illud fabulari apparatu prorsus caret, hoc magna illa comparatione Libyssae harenae et siderum instituta splendorem singularem accepit adestque ibi etiam Iovis et Batti et illa laesepicii memoria paene putide illata.

Sed etiam plura argumenta, ne quid contra librorum auctoritatem periclitemur, dissuadent; eorum nonnulla scite enumeravit Riesius ad c. LVIII b; inter quae maximi momenti differentia metrica qua in c. LV decasyllabi forma fere in altero quoque metro stat, in c. LVIII b multo rarius. Quid? quod etiam dubii haerebant critici, utrum carmen LVIII b ipsi fini carminis LV adsuerent — sed sic duleis fabellae effectus plane subvertitur — an insererent vel inter vv. 13 et 14 vel inter vv. 14 et 15; sed etiam hoc qui probat, ineptias agit. Nam in c. LVIII b Camerium »quaeritat« Catullus necdum invenit; contra c. LV v. 13 iam apud puellas amicus inventus est et tantummodo »ferre«,

id est auferre eum non potest poeta; hoc autem non spectat nisi ad pondus hominis plane prodigiosum: nempe auferre eum »Herculei labos est.«

Et haec nugas Catullianae. Iam quem et qualem hominem prodigiosum hunc Camerium, quem frustra quaeritando et cursitando investigat persequiturque poeta, fuisse arbitreris? In utroque carmine *amicus* dicitur (LV 7; 14; LVIII b 10); in altero non nisi summa eius vel celeritas vel certe ars fugiendi describitur, plura ex priore redundant: amorem et Venerem cum eo habet Catullus (v. 19; 20; 22); sed crudus est (? v. 16) vel certe negat se (v. 14), simul tamen puellas sectatur sive meretriculas (v. 6 sqq.; 17). Denique Catulli quasi proprius Camerius est; nam hunc ille a puellis flagitat (v. 9). Quin etiam scriptum est v. 9: *sic ipse flagitabam*; hoc igitur quod est *ipse* age excutiamus quam diligentissime; de quo non mirabimur doctos adeo desperasse, ut confidenter expellerent aut *inde* aut *usque* aut *saepe* substituentes. Non mirabimur inquam; nam si poeta sese ipsum neque alium nescio quem flagitasse Camerium memorasset, quid cogitari posset absurdius? estque omnino a re alienissima eius generis contrapositio. At vero unum superest refugium; recordemur *ipsimum* et *ipsimam* Petronium dedisse pro domino vel domina; nec aliter Plautus Casin. IV 2, 11 *me ipsa misit* concinitque adeo Catullus c. 3, 7 *suamque norat ipsam*. Quid igitur dubitemus amplius? Hac nempe ratione et unica et sufficienti illud *ipse flagitabam* defenditur, scilicet ut interpretemur: »ego qui dominus tuus sum«, tamquam si editum sit »tuus ipse«.

Itaque amicum illum sive puerum delicatum qualem etiam Iuventium Catulli fuisse nescio an statui velint lectores; Schwabius quaest. Catull. p. 314 nil dicit nisi non cognovisse nos quis fuerit; item Ellisius: »a person only known to us from this poem«, item Baehrensianus comm. p. 269: »hominem nobis ignotum.« Riesius vero: »Scherzgedicht an einen unbekanntem Freund Camerius, der sich vor Catull verborgen hielt, man denke sich das Gedicht etwa dem Verschwundenen in seine Wohnung geschickt (!)«; et ad v. 7: »der Scherz bedeutet, dass Camerius alle schönen Damen liebte.« Handius denique adeo haec, p. 5: »quis fuerit nescimus, nec quidquam refert ad explicandum ipsum carmen de eius genere aut persona quaerere (!). Amicus erat Catulli et, ut videtur, in vitae atque amoris commercio sodalis, sed tum temporis de clandestino quodam amore suspectus. Eum aliquando visitaturus Catullus omnes urbis regiones percurrit« eqs.

Ego paene aenigmatica poemata haec duo de Camerio et esse sentio et esse voluisse Catullum confido; »amicum« vocat, »puerum« vocare anxie vitat; evidentissime autem carmen LVIII b speciem quasi griphi prae se fert. Itaque quod solet fieri in ambagibus, primum miramur stupemusque, deinde circumspicimus solutionem et quasi exitum labyrinthi. Tale poema *αἰνιγματώδες* Meleagri est in Anthol. Pal. VII 421 de aligero cum venabulo eqs.; tale etiam Antipatri ibidem 427 *Ἄ στάλα, φέρ' ἴδω, τίς' ἔχει νεκρῶν*. Nec fere differunt dulcissimi elegi Propertii c. II 29 ubi per plateas errans inducitur quidem puerorum »turba minuta«, qui »nudi fuerant«; Amores vero hos esse cum cura tacet poeta; id conicere ut iucundum est, ita relinquatur lectori ¹⁾.

1) Et cf. de griphis collectanea Athenaei X c. 69 - 89.

Ego autem de Camerio cum deliberarem, ad satis diversam et singularem interpretationem deductus sum, videorque mihi ipsum aenigmatis nodum posse expedire. Certe quidem ad elegantias illius aevi deliciasque voluptarias, quales quaesitiores nullum novit saeculum, respicere conducet. Quid enim, si per lusum libidinosum, sicuti passere suo Lesbia, ita Camerio suo abutebatur Catullus?

II. De pueris minutis apud Romanos in deliciis habitis.

Nanorum sive pumilionum genus quanta gratia valuerit apud Romanos, notum est; homunculi ii ridiculi ac iososi propter summam parvitatem turpitudinem lasciviam adprime grati habebantur, si ad virilem vel senilem aetatem accesserant. Testimonia ab aliis congesta iterum congerere nolo ¹⁾. Populus autem in suum usum pumiliorum nomen ita detorquebat ut propter humilitatem *humiliones* appellaret ²⁾.

Ad hoc genus obscaeni plerumque oblectamenti pertinet ille Bumbulus pygmaeus in anthol. Lat. Ries. c. 190 (v. 8 *te duce lascivae nocte fricantur anus*) et c. 191 (v. 5 *te russeus intrat*). Sed etiam adferatur ille apud Luxorium (ibid. c. 296), cuius dicitur »forma levis, clamor et ira gravis«; nec non Macedonia pantomima pygmaea (ibid. c. 310) Andromacham agens, ipsa non altior quam pes Andromachae; denique ille Conopas minimus homo, duo pedes et palmum, mulierque Andromeda apud Plinium nat. hist. 7, 75. Quod vero Luxorius l. l. de Macedonia pantomina scribit

Thersiten potius finge, quod esse soles.

id miro modo illustratur verbis Clementis Alexandrini Paedag. III 4 (p. 271 P.) de mulierum luxurie exponentis: *καὶ τὸν μὲν Θερσίτην ἀκούουσαι γελῶσιν· αὐταὶ δὲ πολυτιμήτους ὠνούμεναι Θερσίτας, οὐκ ἐπ' ἀνδράσιν ὁμοζύγοις, ἀλλ' ἐπ' ἐκείνοις ἀρχουσίην*. Nempe mereatu »Thersitas« tales comparabant.

At vero Camerius ipse ad pumilos haudquaquam attinuisse potest; quamquam crudelissimum abusum eorum iam Augusti aetate receptum esse et Suetonius docet memorans Augustum ab iis abstinuisse (Octav. c. 83) et Propertius non post annum 16 a. Chr. n., qui in convivio nanum proprium adhibet cui ioci causa nomen *Magnus* dederat ³⁾.

1) cf. O. Jahn Archeol. Beiträge p. 430 sq.; Buchenau De scriptore libri *περὶ ὕψους*. Marpurgi 1849, p. 47 sqq.; J. Marquardt Privatleben der Römer, ed. 2, I, p. 182. »Nanos et nanas et moriones ... populo donavit« Alexander Severus teste Lampridio c. 84, 2.

2) cf. Glossae nominum ed. Loewe (1884) p. 51.

3) Quod saepe accidit usque ad hunc diem in locis difficilioribus, ut pro tradita lectione correcturae obtineant inveteratae quasi panni insuti, qui difficultatem non tollant, sed contegant, id etiam factum est in Propertii loco IV 8, 41:

Magnus et ipse suos breviter concretus in artus
lactabat truncas ad cava buxa manus.

De nano sermonem esse in propatulo est; cur autem pro *Magnus* pertinaciter edunt *Nanus*? an tam turbatus animus fuit ut non sentirent iocum exquisitum hunc fuisse, ut nanus proprio nomine vocaretur *Magnus*? Ita nempe etiam Lucilius in re eadem Anthol. Pal. XI 105:

*τὸν μέγαν ἐζήτουν Εὐμήκιον· ὅς δ' ἐκάθευδεν
μικρῷ ὑπ' ὀξυβάρῳ τὰς χέρας ἐκτανύσας.*

Iam utrum grandioremem homuncionem fuisse credas, *Magnus* Propertii an *τὸν μέγαν Εὐμήκιον* Lucilii? Contrarius autem lusus fuit quod homines procerissimos *Pusionem* et *Secundillam* nominabant, v. Plin. 7, 75.

In Catulli autem poemate vera venustas est et gratia puerilis quae a distorta pumilorum deformitate latissime distat.

Fuit autem deliciarum huiusmodi etiam alterum genus, ad quod provoco, minus illud, si dis placet, crudelis animi et magis innocentis. Viri, saepius etiam mulieres cum pusionibus, qui annos aetatis quattuor vel sex haud excesserant, lusum gerebant, non sine venere. Eos proprie vocari »delicias« olim exposuit Casaubonus ad Suetonii Octav. c. 83.

Et primum accidebat quod hodieque accidit, ut matres suos infantes non vero amore materno educarent; sed educandos aliis traderent nec nisi pro ludibrio, *καθάπερ παίγνια*, si animus ferebat, manibus et ulnis susciperent; hoc illud est quod vituperat Plutarchus in consolatione ad uxorem c. 6¹⁾.

Accidebant etiam talia nimirum qualia Theophrastus inter consuetudines tradidit hominum nimis placendi studiosorum (charact. 5): ad cenam enim vocatus aliquis hospitem iubet arcessere infantes; ubi venerunt, patri similiores dicit quam lac lacti et ad se trahens osculatur et ad se consistit; denique cum aliis eorum ludit ipse clamans *ἀσπός, πέλκευς*, alios in ventre dormire sinit non sine pressu.

At vero etiam alienos infantulos lepidos venustos apud divites ali solitos et in ornamentum vitae adhibitos esse plurimis testimoniis firmabo.

Primus adsit mihi Seneca philosophus qui senex in epist. 12. 3 de Felicione vilici sui filio pauca comminiscitur; nunc quidem hic Felicio decrepitus est; olim autem »pupulus delictum meum factus est«. Vides simul et pupulum et delictum vocatum.

Talis porro infans est apud Martialem IV 87

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
Collocat et lusus deliciasque vocat.

Talis etiam Erotion mortua fuit sex annos nata apud eundem Martialem in epitaphio qui legitur V 34. Et cum hac quidem pusa bene componi potest ille *Amaranthio delictum(s)* in titulo sepulchrali urbis Romae CIL. VI 3967 qui *vixit annis III m. III*; item ille »Gaius venustus« quinque annorum in titulo Romano repetito apud Duebnerum in Anthol. Palat. tomo III append. II 699. Denique »Nicen pupam« — *delictum, vixit annos sexs* — habes CIL. X 5500.

Adde incerti epigramma Anthol. Pal. VII 483 de Callaeschro, qui *νήπιος* diem obierit atque iam *παίγνιον* futurus sit in domo Proserpinae. Adde bimulum infantem (*ὄλιγον βρεχός*) qui mortuus memoratur a Diodoro ibid. VII 632; scilicet de scala parvula parvulus deciderat; et ubi accurrebat »dominus« (*ὄσιος ἄναξ*), teneras manus ad eum moriens tetenderat. Novennis puella a Crinagora celebratur ibid. 643 diciturque *ἐράσμιον αἰὲν ἄθνημα οἰχογενές*, id quod ad delicias plane spectat. Nescio autem an huc etiam referendi sint modicus ille Clitae alumnus ibid. 663²⁾ et *μικτός Μυρσινῶν, θρόμμα*

1) Τὴς δὲ πολλὰς ὀρώμεν μητέρας ὅταν ἐπ' ἄλλων τὰ παιδία καθαρῶν καὶ γανωθῆν, καθίστην παίγνια λαμβανούσας εἰς χεῖρας, εἴτα κτλ.

2) quo iure ego talia velut Anthol. Pal. VII 308 praetermittam, non est quod exponam; nec minus titulum CIL. II 3354 ubi humatus esse dicitur *puer serve pronatus plus minus annorum III*.

ποθεινότητων (Anthol. Pal. append. II 170; et vide ibidem 459; 473), et illi »pusilli filii subulei hircosi« apud Martialem X 98, 10.

Certe vero simile quid est in Bissula illa Ausonii; quam et »alumnā« suam Ausonius vocat (XXV 1 ed. Schenkl.) et »virgunculā« (ibid. 2, 2). Et primum quidem dominari Bissula infans dicitur »in eius deliciis cuius bellica praeda fuit« (ibid. 4, 4); Sueba autem est origine, sed Latine loquens (ibid. 4, 11). Ipse vero Ausonius ad eam haec, ibid. c. 5:

Delicium, blanditiae, ludus, amor, voluptas,
Barbara, sed quae Latias vincis alumna pupae.

Ergo Bissula et pupa est et delicium et ludus.

Eiusdem generis pupulum Domitiani alumnū in morte Domitiani partem aliquam egisse narrat Cassius Dio LXVII 15, ubi de imperatore haec: τὰ ὀνόματα — eorum scilicet quos necare volebat — ἐς σανίδιον γιλιόρινον δίθυρον ἐσγράψας ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον ἐν τῇ κλίτῃ ἐν ἧ ἀνεπαύετο ὑπέσθηκε καὶ αὐτὸ παιδίον τι τῶν γυμνῶν τῶν ψιθυρῶν καθέδοντος αὐτοῦ μεθ' ἡμέραν ἀφελόμενον εἶχεν, οὐκ εἶδός ἢ τι φέροι. προστηκνῦσα δὲ αὐτῷ ἡ Δομιτία τὰ τε γεγραμμένα ἀνέγνω καὶ ἐμίγησε κτλ.

Prorsus idem iisdem coloribus in vita Commodi fusius narratum est ab Herodiano I 17 ubi etiam nomine Philocommodi puerulus ornatur: ὑπερηγάπα δὲ ὁ Κόμοδος αὐτὸ ὡς συγκαθεύδειν πολλάκις Φιλοκόμοδος τε ἐκαλεῖτο; simul autem amabatur puer etiam a Marcia amplexante eum et osculante¹⁾. Eadem denique de »parvulo« hoc per compendium repetit Lampridius in Commodi vitae c. 9, 3.

In Caesarum palatio haud exiguum numerum horum puerorum, unum autem inter eos facile praedilectum fuisse iam ex his quae composui colligitur. Idem docemur in vita Augusti. De Augusto Suetonius haec (l. l.): talis aut ocellatis nucibusque ludabat cum pueris minutis, quos facie et garrulitate amabilis undique conquirebat, praecipue Mauros et Syros. nam pumilos atque distortos et omnis generis eiusdem ut ludibria naturae malique omnis abhorrebat. Vides principem inter »pueros minutos« detentum. Augustus autem »undique conquirebat Mauros et Syros«; id est coemebat nimirum; nec solum Mauros et Syros, sed Alexandrinos quoque emi solitos esse infra nos Silius edocebit. Porro multos sine dubio una habebat princeps; »undique« enim conquisivisse dicitur. Praedilectus autem Augusto pusio unus nomine Sarmentus memoratur apud Plutarchum in vita Antonii c. 59: ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Et hoc quidem loco infantulos παίγνια nominari observemus; eandem vocem παίγνια ex Plutarcho Ad uxorem et ex incerti epigrammate Anthol. Pal. VII 483 supra

1) Locus plenus sic procedit: ἦν δὲ τι παιδίον πᾶν νήπιον, τούτων δὲ τῶν γυμνῶν μὲν ἐσθῆτος χρῶσθαι δὲ καὶ λήθους πολυτίμοις κεκοσμημένων, οἷς αἱ χεῖρες αὐτῶν οἱ τρυφῶντες. ὑπερηγάπα δὲ ὁ Κόμοδος αὐτὸ ὡς συγκαθεύδειν πολλάκις· Φιλοκόμοδος τε ἐκαλεῖτο, δεικνυούσης [καὶ] τῆς προσηγορίας τὴν στοργὴν τὴν ἐς τὸν παῖδα τοῦ βασιλέως. τὸ δὲ παιδίον τοῦτο ἄλλως ἀθῦραν, προσελθόντος τοῦ Κομόδου ἐπὶ τὰ συνήθη λουτρία τε καὶ κοιτάδας, εἰσδραμὸν ἐς τὸν θάλαμον ὡσπερ εἰσάγει, τὸ γραμματεῖον (in quo scilicet quos occisurus erat Domitianus conscripserat) ἐπὶ τοῦ σκίμποςος κείμενον ἀνελόμενον ἵνα δὴ παίζειν ἔχοι, πρόσεισι τοῦ οἴκου. κατὰ δὲ τινα δαίμονα συνήντα τῇ Μαρκίῃ. ἡ δὲ (καὶ αὐτὴ γὰρ ἔστειργε τὸ παιδίον) περιπτύξασα καὶ φιλοῦσα τὸ γραμματεῖον ἀφαιρεῖται, δεδοικνία [δὴ] μὴ τι τῶν ἀναγκαίων ὑπὸ νηπιότητος [ἀγνοοῦν] παίζον διαφθεῖρη.

attulimus (p. X); praecise idem sibi vult quod Ausonius Bissulam *ludum* vocat et *lusus* illi Bassae apud Martialem IV 87, 2.

Cum hac autem affectione, qua erga teneros infantes praeminet Augusti animus, nexum habebat ni fallor molliculus eius et nimius amor nepotulorum. »Gaium et Lucium adoptavit domi per assem et libram emptos a patre Agrippa tenerosque adhuc ad curam rei p. admovit . . . neque cenavit una nisi ut in imo lecto assiderent neque iter fecit nisi ut vehiculo anteirent aut circa adequarent« (Suet. Octav. 64). Prae ceteris vero digna est quae hic adferatur ex Suetonio Calig. 7 narratiuncula de filiolo Germanici uno qui quidem cum obiret, iam »puerascibat insigni festivitate«: »cuius effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiensque introiret, exosculabatur«¹⁾.

Hactenus de Augusto. De iisdem autem deliciis etiam certiores nos facit Suetonius in vita Tiberii c. 44; nam etiam ibi sunt »pueri primae teneritudinis«; pisciculos eos vocabat Tiberius; quas autem nequitias in iis commisisse principem relatum sit, non iterabo; apud auctorem videri possunt.

Denique Augustus ne primus quidem Romae extitit qui pupos alebat. Iam ante eius imperium anno 38 a. Chr. n. ibi non infrequentes fuisse suadet Cassius Dio XLVIII 44, ubi in nuptiis Octaviani et Liviae tale *παίδιον* ita inducitur, ut non Octaviani, sed Liviae proprium fuisse appereat (cf. p. XVIII). Constat igitur iam tum in domo Claudii Neronis receptum fuisse hoc genus ludicri.

Iam vero absolvimus quod erat propositum; testimoniorum certe collationem sat numerosam exhibuimus. Eorum agmen clauditur exemplo uno, quod reservavimus, apto illo quidem, quo demonstretur etiam populum ipsum his venustatibus favisse videri. Scilicet publice quoque et in harena puerulis misellis uti non dedignati sunt Romani; hanc tristem de iis fabellam Martialis tradidit II 75, 5 sqq.; leo mansuetus subito in rabiem revertit:

Nam duo de tenera puerilia corpora turba,
Sanguineam rastris quae renovabat humum,
Saevus et infelix furiali dente peremit;
Marta non vidit maius harena nefas.

Itaque tenellorum alumnorum plena »turba« sive caterva fuit in amphitheatro, fortasse Amorum habitu exornata (solent nempe Amores ludere cum leonibus), quae harenam leoni renovabat. Minutos fuisse etiam inde colligitur, quod cum clarissimis lupae alumnis Romulo et Remo eos contendit Martialis versu 10. Nescio autem num simulacrum quoddam huc referre concedatur, sculptum in marmore, quod curriculum ostendit in circo maximo, puer autem unus cum corbe ministerium facit; an harenam renovat? vide Gerhard, Ant. Bildwerke tb. 120 n. 2²⁾. Nempe etiam in sarcophago Florentino qui certamina Amorum colluctantium exhibet, unus est manibus ferens corbulam viderique potest harenam effundere velle (cf. Duetschke, Ant. Bildwerke in Oberitalien III n. 336).

1) Effigiem alienius nepotulorum Augusti agnoverunt viri periti in capite marmoreo Matritensi de quo adeundus Aem. Huebner Die antiken Bildwerke in Madrid, p. 227, 502.

2) Recensuit hoc monumentum Aem. Huebner in Annal. inst. t. 35 p. 141.

III. De puerorum parvitate iocose celebrata.

Iam vero in carmine Catulli de quo agitur tria sunt quae ponderare intersit. Et primum quidem summus ibi iocus aperte in parvitate et levitate amici posita est; inveniri Camerius non potest, quia quo quis minor, eo facilius absconditur. Mirati sunt interpretes quod *in libellis* quaesivit eum poeta (v. 4); »in tabernis bibliopolarum« supponebant; quod equidem interpretamentum praefracte reicere non ausim¹⁾; dubitari tamen possit an non puer ipso librorum volumine involutus evanuisse dicatur. Quod si placebit, plenior sensus hic erit: Catullus omnes libelliones qui ad viam erant adiit et ibi in omnibus voluminibus quaesivit Camerium.

Certius argumentum est quod latere eum femellae dicunt *in roseis papillis* (v. 12); quae verba per se amoenissima explicatum admittunt bifarium atque diversum. Et libidinosius quidem hoc erit, si quis Camerium inter ipsas papillas mulierculae eius, quae loquitur, sese applicasse arbitretur; quod si fecit, id vel summam exiguitatem eius denotat; inter papillas enim facilius commorabitur qui trimulus est quam qui sexennis, a decenni iam prorsus id alienum foret. Altero vero, qui admitti possit, explicatu prorsus eodem cogimur; pulchre autem eum indicavit Ellisius. Papillae quidem puellarum ut niveae, candidae, lactentes audire solent, ita tamen etiam roseas vocari condonandum est; nihilominus hoc quod est *roseus* de rosis ipsis usurpatum esse potuit. Statuamus de corollariis puellis quasve stephanopolidas Graeci nuncupant esse sermonem²⁾; »papillae« vero etiam galeros florum significabant, adprime rosarum; si dubitas, adeas Pervigilium Veneris (v. 14 et 21) et anthol. Lat. Ries. 84, 3. Roseae papillae igitur possunt esse rosarum galeri. Flores corollasque meretriculae in calathis habebant; atque iam ibi sub rosis vel adeo »in rosis« puerulum celatum esse iocari videntur; nec vero ostendunt Camerium neque reddunt Catullo. Et ambiguitatem hac quoque in re cum studio sectatum esse poetam confido; utitur enim omnino more aenigmatico. Utramvis autem harum interpretationum sequeris: minutulus semper evadet Camerius.

Nunc de exiguitate et harum deliciarum et punitionum paullo copiosius disserendum erit.

1) Usus eum quo Graeci dicebant *ἐν τοῖς βιβλίαις* (Aristoph. Vesp. 755) sim., imitatus esse Romanos adhuc non declaratum est quod recte Handius monet l. l. p. 10. In Priapeo 2 v. 2 carmina »libello non digna« eo sensu dicuntur ut »non digna« sint quae »in libri formam redacta publicentur«. Locus autem Martialis V 20, 8 et 9

Sed gestatio fabulae libelli

Campus porticus umbra Virgo thermae

ita compositus est, ut in versu posteriore tantummodo loca amoena, in priore occupationes iucundae componantur: ergo nullam commendationem haberet si quis »libellos« hoc loco pro tabernis ipsis acciperet; interpretandum est: gestatio in via, fabulae hominum notorum, libellorum lectio, deinde campus eqs. De Virginis significato exposuit Friedlaenderus ad l.

2) Iuvat hic in memoriam revocare sarcophagum Florentinum feminae stephanopolidis, quae sic ibi exhibita est ut lugeatur a pisis pennatis sive Amoribus; cf. Duetschke, Antike Bildw. in Oberitalien II n. 398.

Nec mirum ne in artis quidem operibus nugae similes iocosas prorsus deesse; ad quod disputandum postea sermo recurret, ubi de pupulorum brevitatem supplementum dabitur (p. XXIV), hic omnino in hominibus adultae aetatis facetam quandam magnitudinem atque staturae contrapositionem et repugnantiam placuisse commemoro nec nisi unius potissimum pictae tabulae minus lascivae mentionem in iocis, in qua Iovis cum Iunone conubium descriptum esse verissima coniectura est; et deorum quidem grandes sublimesque figurae; ad Iovis latus vero homunciones tres assederunt inmani exiguitate insignes (v. Raoul Rochette choix de peint. tab. 1; cf. Helbig Wandgem. n. 114); *Δακτύλους* deos agnoscimus sive Digitos, quorum parvitatem ut nomen indicat, ita expressit pictura. Simile est quod a Timanthe pictus erat »Cyclops dormiens in parvula tabella, cuius et sic magnitudinem exprimere cupiens pinxit iuxta Satyros thyrso pollicem eius metientis» (Plin. 35, 74).

Quodsi ad Camerium tandem retrospectamus, fatebimur Catullum ipsum quoque in Camerio celebrando exaggerandi studio se dedidisse; quod enim »in libellis« vel quod »in roseis papillis« latere eum refert, plane id risum concitat et Lucilii illas facetias paene adaequat. Atque iam oxymoron efficacissimum et ad aenigmatis vim augendam aptissimum in eo agnoscimus, quod clamat Catullus v. 13:

Sed te iam ferre Herculei labos est!

Ecce alter Christophorus. Denique non sine lepido acumine parvulus hic in »Magni« ambulatione quaeri dicitur v. 6.

Quid vero de ipsa totius carminis Catulliani inventionem censebimus? quae quidem sic consummatur: Puerulus fugitivus est; frustra a domino suo sive altore anquiritur. Similia circumspiciamus (nec frustra ea quidem) Cameriusque quis fuerit, etiam inde docebimur. Et primum quidem Lucilius haec, anthol. Pal. XI 105:

*Τὸν μέγαν ἐζητοῦν Εὐμήχιον ὡς δ' ἐκίθλευθεν
μικρῷ ὑπ' ὀφθαλμοῦ τὰς χεῖρας ἐκτανύσας.*

Desideratur minutus; anquiritur; sub acetabulo tandem investigatur 1).

Neque vero res humanas derelinquere haesitemus, neque reformidemus volatum altiore; iam enim ad Amorem deferimur pennigerum deum. Matris enim quae filio parvulo pro *παιγνίῳ* saepe utatur, egregium atque divinum exemplum Venerem ipsam cum Cupidine nobis proposuit antiquitas. Hic Cupido quo minutior fingebatur, eo magis ad rem facit quam tractamus. Quoque maiorem Amorum catervam ars formabat, eo magis etiam in hominum vila quam late harum rerum cura delicata patuerit, declaratur. Iam hoc loco cui non in mentem incidet ille »Amor fugitivus« quem claro carmine Moschus celebravit? incipit autem hunc in modum:

*Ἄ Κύπρις τὸν Ἔρωτα τὸν ὕψια μακρὸν ἐβώσκει·
Ἐἴ τις ἐνὶ τριόδῳσι πλανώμενον εἶδεν Ἔρωτα κτλ.*

Vagatur Amor *ἐνὶ τριόδῳσι* velut per plateas Camerius. Et invenire perfugum ut Venus desperat, ita desperat Catullus.

1) Nolo tacere etiam inter anaglypha urbis Romae fragmentum esse ubi vir pusionem prehendere videtur, de quo dixit Matz Antike Bildwerke in Rom sub n. 4046.

Et semper quidem plurimum ioci in exaggeratione constitit. De parvitate corporis a poetis irrisoriis in prodigium usque adaucta primum conferantur mihi poemata duo barbara aetatis infimae, quae sunt De Abcare servo dominico, Anthol. Lat. Ries. c. 209; quae quidem in editionibus perperam pro uno carmine venum ire solent; nos praefatiunculam et epigrammata duo discernimus ¹⁾:

Regius est Abcar servus, palus ²⁾ hispidus ursus
Rana nanus strobilus palmus zeloceca cilindrus.

I.

Exigui piperis formam vix corpore comples;
Pulicis e corio vestit te gunna profusa.
5 Ad maratros dabitur grandis formica caballus.
Polveris ut pilula brevis es, ut glomus hic erras.
Ast ubi dormieris, caveat castissima coniunx,
Erres ne subito mistus sub nocte tomento.

II.

Lendis forma tibi, statu non transilis ova,
10 Aequalis piperi, par est tibi forma cumini.
Fasciarum pondus, longi pars summa telonis.
Sic sepiam pelagus crispanti vertice gestat,
Sic niger inpellit pipulas de stercore zinzar
Araneosque leves [digitis] pendens in stamine bulla.

Hic vero barbarus de Abcare versifex ex Graecorum epigrammatum irrisoriorum conditoriis mirabilia sua prompsit; nobis ex anthologiae Palatinae libro XI haec quae sequuntur delibasse sufficiat; plurima autem eius generis Lucilio poetae debentur:

Lucilius c. 88 parvulam Erotion memorat, quam ludentem rapuit culex; idem c. 95 parvum Macronem quem mus pede traxit; idem c. 99 parvum Proclum qui ad ignem accessit; fumus autem eum tollit per fenestras in aerem. Idem c. 104 Menestratum inducit qui equitatur in formica; decidens perit sicut Phaeton (res similis c. 392 de Adrasto legitur, qui Bellerophonti comparatur). Idem porro c. 106 palea leviozem Chaeremonem, qui araneae pedibus complicatur, mox per stamen eius descendit. Nicarchus autem c. 110 de tribus pumilis haec: Hermon transiit per acus foramen, Demas ab aranea ex tela suspenditur, Sosipater omnino cerni nequit (cf. ibidem cc. 111 et 407). Lucilius denique c. 265 de Gaio refert tam pusillo ut militare non queat nisi contra mures vel pulicum equitatum (*ψυλλῶν ἑπιπικόν*).

Quae omnia qui contempletur, si etiam *Massula* et *Ἀττάραχος* cognomina infantulis indita fuisse viderit (in titulo Bonnensi, v. Catalogi inser. Bonnens., 1876, n. 116), haud inepte coniciet his quoque cognominibus ioculariter indicari parvitatem; sic *polveris pilula* et *glomus* de Abcare legitur v. 6.

1) Duo esse maxime demonstrat piperis mentio duplex v. 3 et 10 (alteram tollere conatus est Baehrensium). Et versus quidem 1 et 2 separandi quasi thema; in iis per tertiam personam de Abcare dicitur; carmina ipsa senos quodque versus habent; in iis autem per alteram personam de eodem Abcare agitur.

2) An *γάλλος* intellegendus est, qui plurimum valet in pygmaeis? cf. *κύκεδρος* v. 2.

Sed etiam ex Anacreonticis carmen 19 in comparationis usum transcribo; quod sic procedit:

*Αἱ Μοῦσαι τὸν Ἔρωτα
 δῆσασαι στεφάνοισιν
 τῷ Κάλλει παρέθοκαν
 καὶ νῦν ἡ Κυθέρεια
 5 ζητεῖ λῦτρα φέρουσα
 λῦσασθαι τὸν Ἔρωτα.
 κἄν λύσῃ δέ τις αὐτόν,
 οὐκ ἔξεισι, μένει δέ.
 δουλεύειν δεδίδαχται.*

In quibus non solum ζητεῖ v. 5, sed maxime ille versus 8 οὐκ ἔξεισι, μένει δέ plane ei inventioni debetur cui paruit Musa Catulliana.

Quae qui perspexerit, iam etiam ad Catulli versum 12, cuius sententiam ancipitem proviso fecit poeta:

Hem hic in roseis latet papillis

Amorem confidenter in auxilium vocabit. Duas huius loci interpretationes tolerari posse dixi; utriusque autem pari fere modo favet Amor; atque etiam sic aenigma illud stabil nec solutum erit. Si enim inter papillas puellae latere Camerium sumimus, contendere possunt quibus Amorem Meleager compellat Anthol. Pal. V 177: οὐ μὲ λέληθας, τοξότα, ... ὄμμασι κρυπτόμενος vel quod dedit sive Plato sive Aesclepiades ibid. VII 217: ἐπὶ ἑντιθῶν ὁ γλυκὺς ἔξειτ' Ἔρως. Si, quod paullo magis animo adblanditur, papillas rosarum interpretamur, praeclare conspirat Platonis quod ferebatur poema Anthol. Plan. 210 (32 Bergk.) v. 5 ubi deus ecce εὐδεν ἐν καλύκεσσι ῥόδων; nec minus carmen Anacreonteum 5:

*Στέφος πλέκων ποδ' ἔθρον
 ἐν τοῖς ῥόδοις Ἔρωτα.
 καὶ τῶν πετρῶν κατασχὼν
 ἐβάπτισ' εἰς τὸν ὄνον κτλ.*

quo loco quia in convivio res agitur, vix in horti rosario, sed potius in corbe rosis pleno consedissee videatur Cupido. Neque ignotum est inter flores Cupidines quam saepe in monumentis repraesentati sint, ea tamen condicione, ut plerumque potius ipsi nectant corollas vel manibus gestent: modo adeas Helbigii Wandgemaelde sub n. 799 et 800 et alia plurima.

IV. De puerorum minorum nuditate et de Amorum deorum inventione.

Et haec quidem hactenus. Alterum vero peculiare in carmine Catulli quod de Camerio effertur hoc est, quod *nudum* esse audimus v. 11; sic certe ibi traditum est: *nudum reduc*; ipsum *reduc* de quo aptius quam de fugitivo dici possit non video (cf. p. IV); quodsi obiectum verbi huius Camerius est, *nudum* ad hunc pertineat necesse est.

Iam vero nuditatem in pusionibus sive »puttis« quos hodierni vocant Itali ¹⁾, quasi primariam virtutem esse quis ignorat? Cogitemus artem christianam et ipsum Christum deum infantem. Saeculo decimo tertio Nicolaus Pisanus in cancella sui oppidi eum in matris sinu parvulo chitone induit idemque sibi praescripsit Guidus Siensis in imagine ecclesiae S. Domenici. Anteceperat olim hanc verecundiam ars christiana catacubarum. Idem vero Nicolaus et posteriores deinceps quo magis elegantiarum antiquarum studium et pulchri sensum excolebant et ad culmen artis adscendebant, eo magis nudum divinum puerum repraesentare pro lege habuerunt; et tunc ipsum etiam Amorum et angelorum geniorumve minusculorum rursus effloruit ubera conceptio; scilicet in inpubere nuditas simplicem venustatem sine offensa et quasi sanctitatem habet.

Nos vero in ipsis Amoribus contemplandis diutius delineamur necesse erit. Antiquitas enim ut in aliis rebus multifariis, ita in hac quoque corporis infantium conformatione et exornatione immortalis suo exemplo praeivit. Amorum quippe populus minutus imperatoriae praecipue aetatis monumenta plurima dulcissimis suis simulacris exhilaravit; ludunt lusus sive inanes sive dissimulantes gravitatem; circumvolitant vitam humanam geniorum instar et ipsam hanc vitam per deminutionem exprimunt. Cuius rei et notitia et admiratio sane pervulgata est; non satis autem mirari potui, quod, qui de Amoribus egerunt, neque quaesiverunt, unde tandem ars et poesis antiqua in eorum inventionem inducta sit, neque omnino respexerunt vitam communem ex qua quasi unico fonte omnis artis cogitatio redundare et emanare solet. Quin etiam ars quasi speculum vitae est ²⁾. Amorum autem repraesentationem et usum »puerorum minorum« artissime nexa esse facile apparebit.

Et primum inter ambos commune hoc est, quod infantes sunt sextum annum haud facile supergredientes (»nondum omni dente renato«, Iuvenal. 14, 11). Itaque ipsae Cupidinum imagines quo plures sunt, eo luculentius illustrant, quantus harum deliciarum amor etiam in vita fuerit. Et tam pusillum Amorem esse ut in rosis lateret vel in rugis genarum insideret supra vidimus; sic etiam apud Horatium »excubat in genis«. Haec eius staturae imminutio invaluisse fere videtur inde a Ptolemaeorum saeculo et ab arte et poesi Alexandrina. Etenim huius prosopiae aperte sunt illi *κῶροι Ἐρωτες* cum Iusciniis

1) Latinus sermo offert quidem vocem *putillus* apud Plautum Asin. 694, syllaba prima breviata apud Varronem Menipp. 568 (?), sed eam utrobique de avibus usurpatam neque vero ut puerum significet, sed solam parvitatem; praeclare conspirant glossaria in quibus cum *puellus puer* reddatur, *puer* *βρεφος*, *puer* *παιδευομαι* (gl. latino-graecae ed. Goetz. p. 164, 22; 165, 20; cf. glossae nominum II p. 590 Goetz. *puer* : *parvulus puer*), contra *puti* non explicatur nisi *μικροί*, iterum *putus* *μικρος, αἰτός* (gl. latino-graecae p. 165, 43). Ergo non pueri ipsi *puti* dicebantur, sed parvi omnino. Apparet etiam hac via corroborari sententiam meam qua olim ex Vergilii catal. 9, 2 eliminari iussi vocem *putus* in prooemio Marburg. 1883/4 »De participiis perfecti« eqs. p. 13 adn. 2. Neque scio an satis iam tuta sint quae disputavit G. Groeber in Arch. lexie. IV p. 453 sq. (cf. etiam Koerting Lat.-roman. Woerterbuch a. 1891) de *putto putta* Italarum: »das erst in der Renaissance erscheint ... es ist offenbar das Virgilische *putus* (!) (Plautus *putillus*) und gelehrtes Lehnwort«. Ceterum de vocem *putus putillus* mensura cf. quae iudicavi l. l.

2) Hunc locum communem inter antiquos eleganter disputavit Apuleius de magia c. 14.

comparati apud Theocritum XV 120 et apud eundem VII 177 praedicati *μάλοισιν ἐρευνθομένοισιν ὁμοῖοι* (cf. Plato c. 32, 2 Bergk.); talis Cupido descriptus est loco celeberrimo Apollonii Rhodi III 114—160. Hinc *pareus Amor* non infrequenter in carminibus obuius.

Alterum commune pusionum et Cupidinum hoc est, quod aut plerumque aut saepe numero gregatim habebantur. Praeplacebat enim in parvulis multitudo. Et id quoque in Cupidinum simulacris quam spisse observetur, non est quod documentis muniam; ex litteris unum locum Bionis decerpisse sufficiat qui est in Adonidis epitaphio v. 80 sqq., ubi septem numerantur¹⁾:

ἀμφὶ δὲ μιν κλαίοντες ἀναστενάζουσιν Ἐρωτες
 χειράμενοι χαίτας ἐπὶ Ἀδώνιδι χῶ μὲν διαστῆς,
 ὅς δ' ἐπὶ τόξον ἔβαιν', ὅς δ' εὐπιπρον ἄγε φαρέτραν,
 χῶ μὲν ἔλυσε πέδιλον Ἀδώνιδος, ὅς δὲ λέβητι
 χρυσίῳ ἐφόρησεν ἔθορον, ὃ δὲ μηρὸν ἔλωνεν,
 ὅς δ' ὀπιθὴν περὶ γαστρὶν ἀνέψυχεν τὸν Ἀδωνιν.

Ita Amores. Congruit vero quod etiam pueri minuti in domibus divitum gregatim ludabant; *πλήθει ἀθύρουσαι τρέφουσιν αἱ γυναῖκες* dicit Cassius Dio XLVIII 44; »turbam« eorum in harena apud Martialem vidimus II 75, 5 (cf. p. XII); cum pluribus una rem habet Octavianus (Suet. c. 83), cum pluribus etiam Tiberius (Sueton. c. 44); *pueruli confusores* inducuntur apud Spartianum in Severo c. 4, 6; propterea collective *τὰ γυμνά* audiunt, *τὰ ψιθυρά* (vide locos infra allegatos).

Iam vero tertium et gravissimum ipsa nuditas est in quo pueruli illi et vivi et arte ficti participabant. Et in monumentis de Cupidinibus hoc valere si exponerem, lignum ego in silvam ferrem. Sic nimirum etiam *nudus Amor* scribitur apud poetas (Propert. monob. 2, 8; Ovid. Am. I 10, 5; Metam. X 516); *γυμνός* e. g. apud Mosehum in Amore fugitivo v. 15, apud Nonnum Dion. 7, 275; 48, 107; alios²⁾. Maximi autem momenti est quod demonstrari potest pueros minutos quos proprie vocamus ipsos quoque et semper quidem, ut videtur, incessisse nudos. Eius rei quamquam multa testimonia praesto non sunt, tamen ita sunt comparata ut pro plurimis haberi possint.

Sic plane scripsit Herodianus in vita Commodi I 17, 3; ἴν δὲ καὶ παιδίον πάνυ νήπιον τούτων δὴ τῶν γυμνῶν μὲν ἐστ' ἤτος, χρυσῶ δὲ καὶ λίθους κεκοσμημένων, οἷς ἀεὶ χαίρουσι Ῥωμαίων οἱ τραγιῶντες. Vides puerorum simul et numerum et nudationem.

Idem etiam efficiunt verba breviora quibus Cassius Dio LXVII 15 in morte Domitiani usus est: *παιδίον τι τῶν γυμνῶν τῶν ψιθυρῶν*; ponderandus est utique articulus *τῶν*; intelleges certam quasi classem sive speciem fuisse infantium, qui vocabantur *τὰ γυμνά*.

Explicatius Cassius Dio de re eadem feliciter dixit ad annum 38 a. Chr. n., XLVIII 44, ubi haec sunt: *παιδίον τι τῶν ψιθυρῶν οἷα αἱ γυναῖκες γυμνά ὡς πλήθει*

1) Sex numerantur in pictura illa mortis Adonidis, Raoul Roch. choix tab. 9.

2) Apud Catullum 68 B 134 inducitur Amor *crocea candidus in tunica*; i. e. tam soluta est tunicula, ut candor corporis pelluceret; cf. Vergilii Aen. I 711. Ita nimirum etiam Amores saepe chlamydem habent libere fluentem, cf. e. g. Helbigii Wandgemälde n. 632 sqq.

ἀθύρουσαι τρέφουσιν. Habes ecce hic quoque nudorum multitudinem; et apertum est inesse in his verbis semper nudos fuisse alumnos.

Sic nudum etiam Camerium Catulli vidimus¹⁾.

Quae tandem qui cognoverit, si legerit apud Philostratum Imag. VI inductam *γυμνήν ἀγέλλην* Amorum et apud Propertinum II 29 illam *turbam minutam, sed nudi fuerant*, nonne ad ipsa *παιδία γυμνά ψιθνοῦσά οἷς ἀεὶ χαιρουσι Ῥωμαίων οἱ τρυφῶντες* mentem vel invitus referet?

Quid? quod argumenta idonea affluentia ne nunc quidem exhausta sunt. Nam etiam ipsa artis monumenta et licet et interest ad testimonium excitare. Nempe a pictoribus sculptoribus *pusi* etiam sine alis haud infrequenter formati sunt.

Nonnulla igitur *pusorum* alis carentium exempla ex artis inventariis hic congeram quae fortuito mihi se obtulerunt²⁾; qui opera dedita et cura circumspectiore venabitur, multo plura et et aptiora ad probandum facile indagabit.

Primum quidem talia simulacra apponam, in quibus de Amore quominus quis cogitet plurimum abest. Et testantur ea quidem claro concentu *pusionum* apud antiquos amorem; multa autem ad fabularem historiam pertinent; alia infantes quoscumque obgerunt; in nonnullis autem certe etiam deliciolae ipsae agnoscendae sunt. Sin autem nudos dixerō, interdum etiam *paene nudos tunica resecta* intelleges.

Tales sunt Iuppiter infans cum Amalthea e. g. in notissimo anaglypho Laterani, Plutus infans in Pacis brachio Monacensis, Mercurius infans (Clarac IV tb. 655), Hercules et Iphicles infantes (Clarac V tb. 781 n. 1955 sqq.; Gazette archéol. I, 1875, p. 66 sq., tb. 16); Romulus et Remus sub lupa (cf. Bachofen, Annal. inst. t. 40 p. 421 sq., 41 p. 288 sq.); Achilles educatus in tabula marmorea Musei Capitolini; Bacchus puer (Clarac IV tb. 673—677; Engravings from ancient marbles Musei Britannici XI pl. 38); idem educatus apud Millin M. G. t. 59 n. 229; idem apud Gerhard tb. 312 n. 1—13, ubi cum lepore ludit n. 12, scalam ascendit n. 5 sicut infantulus ille apud Diodorum (supra p. X); quamquam haecine iure ad Bacchum sive Iacchum rettulerit Gerhard, summam dubitationem habet. Adde quod filii Medae atque Alcestidis in sarcophagis simili modo investes cernuntur; adde Harpocratis idola (Clarac IV tb. 763; Jahrbh. des arch. Instit. t. V, archaeol. Anzeiger p. 155 sq. sub n. 1 et 2).

Et hactenus exempla divina sive fabulis debita. Ceterum *pupuli* omnino sine alis nuduli si quis uno conspectu complecti velit quam saepe figurati sint, percenseat e. g.

1) Pusillus Macro apud Lucilianum anth. Pal. XI 95 *ψιλός* quidem dicitur:

ὄς δ' ἐν τῇ τραγῳδίᾳ ψιλός τὸν μῦθον ἀποπνίξας.

Sed licet *ψιλός* etiam pro vestibus carente interdum scribatur (Lucian. dial. mort. 10, 1; 4), tamen interpretandum erit nimirum »sine armis.« — Abcarem, de quo supra dictum est, vestit sane »gunna profusa« (v. 4); sed hic nanus est, non pupulus (v. 2).

2) De infantium in arte antiqua representatione summam olim verba fecit K. Levezow in Amaltheae Boettigeri t. I p. 175; postea J. Bachofen in Annal. instit. t. 41 p. 299 sq.; A. Furtwaengler in »Eros in der Vasenmalerei«, Monac. 1875; idem in »Der Dornanszieher und der Knabe mit der Gans«, Berol. 1876 (Virchow et Holtzendorff, ser. XI).

statuaria eiusmodi opera urbis Romae quae Matzius enarravit in *Antike Bildwerke in Rom* sub n. 1115—1166, inter quae multa sunt, quae ad puteal aquasve salientes exornandas adhibitos demonstrant. Quae quidem singillatim in censum vocare nolo; ectypa praestitit Clarac IV tb. 647; 648; 650 A; 651; 666 E; 755; 756; 761 C; V tb. 874 C n. 2227 A sqq. Multa etiam aliunde adici possint: pusus cum simia apud Helbigium l. l. 1417; infans cum bulla apud Guigniaut relig. de l'antiqu. l. IV n. 582. Gallos gallinaceos ad pugnam incitant apud Clarac II tb. 200 n. 225; quattuordecim lusum varium agentes in sarcophagi anaglypho dedit Clarac II tb. 187 n. 223. Nudi interdum in summo sarcophago adsident¹⁾; interdum ab anaglyphica compositione eos eximebant vel tamquam partem extraneam eius esse volebant marmorarii²⁾; item in columnae Igelensis — apud Treveros — parastatis angularibus stantes salientes exsculpti sunt; nec solet huius columnae anaglyptarius repraesentare quae a vita Secundiniorum aliena fuerunt.

In his et similibus unus quisque secum reputet quam saepe ex ipsa vivida deliciarum observatione artis consilium profectum sit; scilicet ex divitum plerumque mandatu tales imagines perficiebantur. Eodem pertinere quam maxime videtur Boethi clarissimus infantulus anserem strangulans, cuius exemplum exhibui in tabula II huius libelli; eodem etiam statua elegantissima infantis sive talis sive nucibus ludentis anno 1878 eruderata de qua disputatum est in *Bullett. della commiss. arch. commun. di Roma* a. 1882 p. 55 sqq.; cf. Helbig Führer I n. 581; iteravit Baumeister, unde ego desumpsi; vide tabulam meam VII; item Berolinensis statua pueruli astragalizontis (cf. K. Levezow in *Amalthea* I tab. V); item Viennensis statua infantium duorum ita rixantium ut alter alteri morsu inhaereat, de qua vide *Gazette archéol.* IV, 1878, pl. 20³⁾; adde pueros rixantes in *British marbles* II n. 31; item figura illa dulcissima delineata apud Clarac IV tb. 749 C n. 1949 A. Ex terrae coctae fictilium numero Pompeianorum unus testis producat mihi pupus simplex stans, nulla re insignitus nisi aetatulae teneritudine et nudatione corporis⁴⁾. Ipsa haec vita est simulacris condita; qui aspexerit, non dubitabit. Praevisse autem olim fertur Polycletus qui »pueros talis nudos ludentes fecit«; qui quidem collocabantur in ipso Titi imperatoris atrio (Plin. 34, 84); et placere sane tale argumentum debuit Titi saeculo.

Utilissima et ad nostrum propositum apposita quam maxime imago est in anaglypho, quod extat in hortis villae Pamfili, expresso apud Gerhard. tb. 108 n. 2⁵⁾, unde repetitii in tabula IX huius libelli. Homines novem adultae aetatis, iuvenes sex, puellae tres symposium habent in lectis reclinati; simul autem infantuli nudi sex circumagunt aut sub lectis humi degentes aut a viris vel feminis occupati; et unus quidem infans vinum

1) cf. e. g. Clarac IV tb. 762 A n. 1873 et 1873 C, item tb. 762 B n. 1873 D.

2) Exemplo sint sarcophagi apud Duetschke I n. 63; 70; 137; III 29; al.

3) cf. Clarac V tb. 880; sine alis sunt nimirum; neque rationem omnino habet, quod Vilofossius editor l. l. de Amoribus duobus, qui vocantur Ἔρως et Ἀντέρως, cogitat.

4) cf. R. Kekulé *Die antiken Terracotten* I tb. 34.

5) cf. Gerhard »Text« p. 351; Matz l. l. n. 2331.

sorbet (idem faciebat Sarmentus ille Augusti, vide infra p. XXVI sq.), alteri patera ligurienda porrigitur, alius tollitur brachiis et uvam praebet ei muliercula, quartus, ut particeps fiat potionis, tacitus precator manum tollit. Et iuvenes Satyros esse sollemnes ea modestia significavit artifex, vix ut sentias. Ceterum haec quoque ipsa vita est. Sic mihi, sic in domibus procerum ludieri causa adhibitam esse confidas multitudinem puporum quos *παίγνια* dicebant. Item in convivio potans infantulus detegitur apud Clarac II tb. 225 n. 161. Illud vero an alio verti potest, quod in ipsis Amoris et Psyches nuptiis, ubi pennatae ad unum omnes figurae cernuntur, sub lectulo tale *παίγνιον* alis destitutum perparvum demissum sedet uvam admordens? vide anaglyphum repetitum apud Guigniaut l. I. n. 409; Baumeister n. 1610. Qua in re recordemur *τὰ παῖδια τὰ γυνῶν* praesto fuisse etiam in nuptiis Liviae et Octaviani, quod docet Cassius Dio XLVIII 44; ceterum de Septimii Severi epulis privatis sic incipit narrare Spartianus c. 4, 6: *in his hortis cum humi iacens epularetur cum filiis* (Caracallo et Geta) *parca cena, pomaque adposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, conlusoribus puerulis manu largiore divideret* eqs. Habes en ad epulas admissum gregem puerulorum, quibus mala in parca cena dividuntur. Sunt autem hi minus deliciae domini quam filii conlusores.

Hinc vero ut orbem compleam, ad Amorum rursus similitudinem transitus conceditur. Et primum propero ad statuam tandem Nili Vaticanam exhibitam in tabula III huius commentarioli, in qua pusi — numero sedecim — fornicarum ritu molliter ac delicate grande Fluvii corpus circumlusitant. Cuius tamen inventionis ne Vaticanam statuam unicum testem putemus, simillimae etiam extant Parisiis, apud Anglos, alias, asservatae: vide modo Clarac IV tb. 745 n. 1812, tb. 748 n. 1811 et 1813, tb. 749 C n. 1811 B. Et hi quidem pusi ab altitudine *πίχεις* appellati sunt sicut parvus homullus *δίπιχης* Anthol. Pal. XI 108, Abcar *palmus* audit l. I. v. 2; numerantur autem sedecim, quia Nilus evagans totidem cubita non exsuperabat ¹⁾. Describendam huiusmodi effigiem olim sibi elegit Philostratus Imag. V, et paucis saltem aurem ei praebeamus: *περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πίχεις ἀθύρονσι* (cf. *ἀθύρονσαι* apud Cassium Dionem XLVIII 44) *παῖδια ξύμμετρα τῷ ὀνόματι, καὶ ὁ Νεῖλος αὐτοῖς ὑπεργάννται. προσάγεται οὖν ... βρέφῃ; ἀπαλὰ καὶ μειδιῶντα, μετέχειν δὲ οἴμαι τι αὐτὰ καὶ τοῦ λάλον· καὶ οἱ μὲν τοῖς ὄμοις αὐτοῦ ἐφιζάνουσιν κτλ.* Quoniam vero pusi Nilotici etiam cum crocodilis ibi rem habent, non adferre nolo imaginem admirabilem Musei Britannici (Engravings X tb. 27), exiguam statuam dico pueri unius investis, origine aut Aegypti aut Aethiopicæ, qui in crocodilo audacissime cernuat.

Deinde vero locum eundem de Nili imagine Lucianus in usum suum vertit in Rhetorum magistro c. 6; Rhetoricam divinam personam facit; eam circumvolitant *Ἐπαινοὶ* quos Amorum pusillorum instar haberi vult, *Ἔρωσι μικροῖς εἰκοότες*; hinc

1) cf. Plin. n. h. 18, 168; Helbig Führer I n. 47, qui etiam haec: *»ergänzt sind an dem Flussgotte ... die Finger der r. Hand, die von dieser Hand gehaltenen Aehren ... und die Zehen, beinahe an allen Knabenfiguren der Oberkörper, an einigen noch mehr«. Tamen alatos non fuisse abunde constat.*

autem in Nili memoriam incidit: ἤδη πον τὸν Νεῖλον εἶδες γραφῆ μεμνημένον
 μικρὰ δὲ τινα παιδία περὶ αὐτὸν παίζοντα — πῆχεις δὲ αὐτοῦς οἱ Αἰγύπτιοι
 καλοῦσι — τοιοῦτοι καὶ περὶ τὴν Ῥητορικὴν οἱ Ἕπαινοι. Hic Nili pusiones alis
 carentes cum Amoribus aequalos habemus; utrique scilicet cum Ἐπαινοῖς
 pari modo comparantur.

Nec hoc satis. Nam infantes prorsus eadem ratione, qua in Nilo, in sarcophagorum
 anaglyphis et in aliis imperatoriae aetatis artificii saepenumero ficti cernuntur, scilicet
 alis carentes, sed qui re ipsa ab Amoribus distingui nequeant; quod modo ita fit,
 ut Amoribus intermixti compareant (ita in lapide figurato apud Millin t. 121 n. 472*
 Amores quinque cum clava Herculis rem gerunt; unus alis caret; in sarcophago
 Florentino Gerhard Ant. Bildwerke tab. 89 pugiles Amores cernuntur, quattuor vel
 certe tres sine alis; simile quid apud Duetschke Ant. Bildw. I n. 33; nec aliter Bullett. d.
 comm. archeol. munic I, 1873, m. Sept. et Octob. t. IV n. 1 et 2, ubi in aqua lusitant),
 modo ita, ut omnino et apud omnes pinnae deficiant; cuius rei haec exempla insero: in
 Bacchi thiaso pueruli duo apud Millin t. 68 n. 260; item in commisatione Bacchica
 occupati plures in sarcophago Spartano edito in Mittheil. des Athen. Instituts II 401 sub
 n. 228¹⁾ vel in simili opere Patrarum urbis de quo a Matzio relatum est in Archaeol.
 Zeitung a. 1872 ad tab. 59; denique in sarcophago Atheniensi quem L. de Sybel
 descripsit Catalog. n. 2160. Atque ut ne hoc quidem operum genus sine exemplo
 memorarem, sarcophagi similis Atheniensis ectypum in tabula mea VIII
 adieci²⁾.

Memorabilis porro statua est parvi pueri vinculis colligati, Amoris vincti
 ritu, apud Matzium n. 1155, ubi num hic Amor esse possit sine alis necne, valde dubitatum
 est a Duhnio editore; ex Claracio ego repraesentationem desumpsi positam in tabula mea VI.
 Duos pugiles sine alis dedit Gerhard tb. 89 n. 4; cf. Clarac V tb. 883 n. 2256 et 2257.
 Adde quod sedent illi in delphino apud Matzium n. 1122 sq.³⁾ vel cum columba vel
 quavis avicula lusum gerunt, ibid. n. 1147—1149⁴⁾, cum lepore ibid. 1120, cum leone
 Clarac IV tb. 645 n. 1466, quae omnia Cupidinis propria sunt. Florum frugumve festones
 manibus suffulciunt in sarcophagis velut domus Barberinae Gerhard t. 85 n. 2; Clarac II
 tb. 225 n. 130 (cf. ibid. 194 n. 92; Duetschke I n. 112; 128; II n. 370). Cum coronis
 condecorato puerulo in hircio equitante apud Clarac IV tb. 694 A n. 1610 B (similiter ibid.
 tb. 709 n. 1670 A) conferatur Amor idem agens ibid. II tb. 181 n. 158.

1) cf. descriptionem apud Friederichs-Wolters Gipsabgüsse ant. Bildw. sub n. 1821; Baumeister
 Denkmäler tab. 1618.

2) quod commodante Sybelio transtuli ex photographica tabula asservata in apparatu archaeo-
 logico huius urbis; cf. de monumento hoc Archaeol. Anzeiger 1855 p. 119.

3) Nempe delphini infantium amatores habebantur, cf. Pausan. III 25, 5; item de puero delphin-
 eromeno Gell. VI 8; ad illustrandum aptissima figura est apud Clarac IV tb. 647 sine numero (edita
 secundum Cavaceppium) ubi puerulum dormientem prorsus libidinoso modo circumplectitur delphinus.

4) cf. Clarac V tb. 874 C, 874 D, 875, 876, 877 A, 878. Adde Duetschke Ant. Bildw. II 265 de
 figura Florentinae servata quam vocat ille »Erotenstatuette«.

Hoc autem, quod alis carent hae imagines¹⁾, sic explicarunt viri peritissimi, ut per artificum negligentiam alas praetermissas esse autumarent²⁾. Id quidem minus recte; immo operarii, qui hoc praestiterunt, ad vitam cottidianam propius accedendum esse existimarunt; fingeant nempe in delectationem divitum pupulos ipsos quorum amplam catervam per divitum cenacula vagari videbant.

Sequitur ut evincamus non solum pusiones nonnumquam et ipsos alis exornatos esse in vita, sed ne Amorum quidem alas omnino tales visas esse quae demi non possent. Unde utrique illi inter se quam artis vinculis coniuncti et quasi consanguinei fuerint, cum magno lucro docebimur.

Locum de Amore utilissimum, qui in litteris extat Latinis, haud scio an satis animum adverterint artis antiquae amatores. Ascanius in Aeneidis libro primo sextum annum certe non excessit; nam a Didone et gremio accipi potest et dulci osculo mulceri (v. 685—687); gremio tollitur ab ipsa quoque Venere (v. 692). Hic autem puer minutus in Amorem ecce transfiguratur; Venus ad Amorem v. 683 sqq.:

Tu faciem illius noctem non amplius unam
Falle dolo et notos pueri puer indue voltus,
685 Ut cum te gremio accipiet lactissima Dido ...
Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem eqs.
689 Paret Amor dietis carae genetricis et alas
Exiit.

Postea et »collo Aeneae pependit« (v. 715) et »gremio fovet« eum Dido (v. 718). Exemplum clarissimum hoc est non solum pupuli a muliere in deliciis habiti, sed etiam Amoris cum pupulo commutati. Ceterum illud *exiit alas* v. 689 in ipsa hac dei metamorphosi dixeris sane figurate a Vergilio esse usurpatum sic ut *indue voltus* v. 684. At vero magis dignum poetico ingenio phantasma fuit, si in eo potius miraculum ponebatur, quod proprio sensu deus nescio qua vi divina illaesus alas sibi innatas exuebat; qua in re valere aliquid potuit memoria Mercurii illius qui et induebat et exuebat talaria sua³⁾. Neque decet tacere quod occurrit etiam in monumentis figuratio Amoris catenati cui alae exuuntur: id ipsum cernitur in gemma delineata apud Guigniaut tom. IV n. 409 d⁴⁾; quae ubi sit vel cuius sit fidei quod parum mihi constat aegre fero.

Is vero qui exuentem alas deum fingit, etiam postmodo rursus induere eas statuerit necesse est. Et potuit sane ita statuere. Certe pusiis etiam in vita sicut Icaro in fabula,

1) Venerem marinam in pictura Romana pusiis circumfusam infra dicemus.

2) Helbigius in Wandgemälde ad n. 785: »Putto, ungeflügelt. — Das Fehlen der Beflügelung ist muthmasslich aus einer Nachlässigkeit des Malers zu erklären«. Furtwaengler apud Roscherum Lexici mythol. p. 1369: »Ungeflügelte Bildung des Eros ist nirgends als beabsichtigt, sondern nur aus Nachlässigkeit entstanden und zwar namentlich in spätrömischer Zeit zu constatiren« (?). Unde »ungeflügelte Erosen« vox receptissima est omnino apud doctos. Cautius olim Gerhard iudicium tulit »Text« p. 331.

3) Fors tulit ut Cupidinibus accrevisse alas legere non meminerim; solent crescere iis potissimum qui in veram avem transeunt. Calais et Zethes dum pueri, etiam implumes sunt; pennae iis una cum barba nascuntur (Ovid. met. VI 714 sqq.).

4) desumpta ex Vivenzio, gemme antiche, tab. II.

alas adpositas esse demonstrabo. Id nempe quod vel nostri aevi mimica et saltica scaena non sine summa iucunditate ad effectum perducit, an incompertum fuisse credideris sollertissimo ingenio antiquorum? Tradit Plutarchus in vita Antonii c. 26: Cleopatra Cydnum fluvium navigio aurato ascendens ipsa recubabat sub velo aureo graphice adornata tamquam Venus, *παῖδες δὲ τοῖς γραμμοῖς Ἐρωσὶν εἰκασμένοι παρ' ἑκάτερον ἐστῶτες ἐρρίπιζον*. Hos pueros minutos fuisse inde manifesto efficitur quod Amorum partes agunt. Et usos hic videmus flabellis; nisi forte ipsis alis ventilabant Amorum ritu; cf. illud *πεπεύγεσσι ἀνέφυγεν* apud Bionem epitaph. Adon. v. 85 (supra p. XVIII). Sic igitur pupi in Cupidines transformabantur. Et haec quidem de Cleopatra; nec vero differt quod de Helio Caesare Sparlianus c. 5, 10: *cursoribus suis exemplo Cupidinum alas frequenter adposuit eosque ventorum nominibus saepe vocitavit Boream alium, alium Notum ... appellans*.

Hoc addo. Augustus quantopere pupulos in deliciis habuerit supra expositum est; idem princeps, cum Germanici filiolus »iam puerascens« et »insigni festivitate« obiisset, eius »effigiem habitu Cupidinis« quam etiam Livia in aede Capitolinae Veneris dedicabat, ipse »in cubiculo suo positam, quotiensque introiret, exosculabatur« (Suet. Calig. 7; supra p. XII). Vide quam facile alae adiectae sint in consecratione. Iam vero si quis egregiam Augusti statuam, quae Primae Portae dicitur, respexerit, non sine admiratione Amorem ibi pupulum, parvulum, quin etiam debito minutiorem, ad pedes Augusti in delphino sedentem deprehendet. Et verum hunc esse Amorem Veneris filium non delphinus solum, sed magis etiam Veneris cum gente Iulia cognatio prodit. Quod ut constare dico, ita tamen non sine gaudio sic exhibitum principem agnosco qui pusionum tam amans fuerit ¹⁾.

Denique, ubi de Augusto res est, quis non gemmae splendidae recordetur »Augusteae« Vindobonensis ²⁾, cui incisam imperatoris apotheosin esse credunt? Et in eius generis artificii interpretatione magna quidem animus incertitudine obducitur; nil tamen ambiguitatis habet quod Augustum cum Roma dea in segmento imaginis superiore recognorunt; ad laevam vero Augusti dea humi consedit cum cornu Amaltheae, et secum ecce habet ea pueros minutos duos investes sine alis; Gaeam hanc sive Tellurem esse inde comprobatur, quod etiam alii artifices et sedentem hanc deam et cornu ubertatis tenentem et a propriis binis infantibus circumdatam fingeant; specimina videri possunt apud Conze Heroen- und Goetlertgestalten tb. LVI. Amat nempe Tellus mater pusiones, mulierum delicias, tamquam fertilitatis et abundantiae maternae testimonia. Hinc est quod ipsa quoque »Abundantia temporum« in moneta Corneliae Saloninae Gallieni uxoris ita illustratur, ut puerulis nudis circumstipetur quibus aureos distribuat; adsunt autem ibi pueri quinque numero ³⁾. Nec non indidem explicatum habet quod etiam Priapus fertilissimus ille deorum cum iisdem deliciis lusum gerit; vide modo formosissimos pusiones cum Priapo in statua exhibita apud Conze l. l. tab. LXXVII. Iam vero in gemma

1) Sic Julia cum »parvo Cupidine« apud Martialem VI 13 statuario opere dedicata est.

2) v. e. g. Mongez Iconograph. Rom. pl. 19; Baumeister n. 1793.

3) v. Baumeister fig. 627 ex Froehnero.

Augustea ne ex improvise a scalptore eam adorationem factam putes, qua Telluris pueruli ad ipsum Augustum sunt adpropinquati. Ex vita enim hoc repetitum est, quod sic cum parvulis cernitur Augustus¹⁾.

Et haec quidem hactenus. Puerorum enim pennigerorum inventionem cum deliciarum consuetudine aliqua quacumque ratione nexam fuisse iam ex his, ni fallor, quae protuli, cum magna specie veritatis colligi potest. Quin etiam quia commutari solebant inter se, in puerorum sepulchris nullum aptius ornamentum habitum est quam Amorum imagines. Qua in re satis habeo demisisse lectorem ad sarcophagos quos descripsit Duetschke Ant. Bildw. I n. 21; 33; 81; II n. 315; III n. 336; 449; et cf. ibidem IV n. 519²⁾. Latissime autem illa inventio patebat qua Cupido unus iacens dormiens in sepulchris ponebatur³⁾; reputes igitur, quod etiam alae interdum in iis omissae: vide Clarac IV tb. 644 n. 1459 F, 1459 G (1459 E?).

Restat abhinc ut de Amorum occupationibus sive negotiis quae lusu otioso affectare assolent, cogitationem suscipiamus.

Notum est in artificibus vel Pompeianis vel alibi repertis deos minutos non solum in iis rebus versari quae ad Venerem matrem vel ad amoris incitamentum vel ad Liberum relationem habent (velut arcum flectunt, facem gerunt, Martis arma trahunt, Iovem taurum in Europae amore pascunt, in leonibus equitantur), sed etiam omnia fere gerere et persequi quae sunt puerorum pusillorum oblectamenta, quin etiam omnino vitam hominum per lusum festivum imitari. Haec omnia ne ita excogitata esse ab artificibus opineris tamquam antiquam Amoris dei venerationem debitam posthabuerint, caelestem naturam et sublimiorem notionem ei exuerint et ad humanas res saepe humilimas sine pietate et sine ratione eum devocarint. Immo videtur stabiliendum esse contrarium. Certe ipsa vita pueros minutulos nudos oculis proponebat; hi fuerunt quos duplici et imitandi et augendi studio in formam illam divinam ars traducebat, neque fere diversitas est inter pueros divinos et humanos nisi quod illi pennas gerunt. In nobilium igitur aedibus iidem pupi, qui ibi in picturis parietariis, in vasculis, in anaglyphis vitam alteram et supranaturalem agebant, etiam vivi per atria et cubicula circumcursabant puerili ludo dediti et nudi ipsi quoque; suntque hi ἄπτεροι ἄλλοι Ἐρωτες, ut Nonni felicissimis verbis utamur (Dion. 10, 199). Hoc autem loco, quo substitit disputatio, id potissimum in mentem curiose revocemus nec volvere animo cessemus, quod tritissimum est; scilicet solent etiam pueri ipsi per luum et remissionem imitari vitam humanam; solent aedificare casas, plaustro mures adiungere, equitare in harundine longa (Horat. Sat. II 3, 47); conchis canunt luduntque (Athenaei III p. 85 F); curram flectunt quem trahit aries (v. sarcophagum in Archaeol. Zeitung a. 1885 tab. 14; Baumeister n. 1622). Quin etiam »pueri fingunt per ludibria potestates« (Treb.

1) Ceterum v. J. J. Bernoulli Roem. Ikonographie II 1, p. 267, qui Abundantiam dicit quam ego Tellurem.

2) cf. Petersen Annal. instit. a. 1860 p. 405 sqq.

3) cf. e. g. Matzium n. 275—293; Benndorf et Schoene Later. Mus. 370; Duetschke II n. 256; III n. 141; 252; Clarac IV tb. 643 sqq.; Engravings from ancient marbles XI tb. 37; al.

Pollio Gallieni c. 4), unde illud »rex eris« (Horat. epist. I 1, 59). Severus in prima pueritia »nullum alium inter pueros ludum nisi ad iudices exercuit, cum ipse praelatis fascibus ac securibus ordine puerorum circumstante sederet ac iudicaret« (Spartiani c. 1, 4; similia Iulius Valerius p. 13 ed. Kuebler). Clodius Albinus fertur »saepissime cantasse inter puerulos: Arma amens capio« (Capitolini c. 5, 2). Hinc est, quod etiam Amores pusilli ab artificibus adhibiti sunt ad vitae labores officia studia inceptaque multigena lusu lepido ac venusto exprimenda.

Iam vero inter pupulos mortales et immortales de his fere convenire observavi, quae aut ad indolem aut ad occupationes utrorumque pertinent.

Et de rebus quidem tribus et principalibus, quibus communitio proditur amborum, supra monitum habes: de tenera aetate, de eo quod catervatim agunt, de nuditate (p. XVII sq.). Accedit hoc. Ubi cumque enim gregem infantium etiam amplissimum ars inducebat, gravissimum est, quod paene semper unius eos eiusdemque aetatis et magnitudinis esse destinavit. Itaque admirabili quodam studii consensu cautum est, ne pro unius matris filiis haberentur. Id nusquam non valet de Cupidinibus; valet pari modo de pueris minutis; modo inspicie tabulas propositas in huius libelli appendice III (et IV) et V et VIII et IX; cogita etiam Igelensem columnam et opera quaevis eiusdem argumenti. Unde autem, quaeso, haec artis consuetudo deduci debet? Ego equidem ad vitam communem provocare non cessabo. Facile est enim ad credendum homines nobiles, ubi puerorum greges aiebant, hos quoque ea condicione sibi »undique« procurasse, ut aequaevis essent. Neque inconsiderate id praesumere mihi videor et de turba minuta in amphitheatro occupata apud Martialem (supra p. XII) et de puerulis conlusoribus Caracalli in vita Severi (p. XXI) et de pueris cum Amorum ornatu exhibitis a Cleopatra (p. XXIV), similibus.

Puerulorum parvitatem quantopere exaggerare antiquis placuerit, supra illustravi p. XII sqq. Idem in Nili statua observatur; idem et alibi velut in sarcophago Parisiensi (apud Guigniaut l. l. n. 523) ubi et alis carentes et nimis pro portione exigui adsunt in Bacchi comitatu, et in sarcophago Cassellano (apud Baumeister Denkm. n. 760). Nec differunt Amores; nam idem in Amoribus quoque studiose interdum affectasse antiquos vel Augusti statua docet cui talis Cupido adiectus est (supra p. XXIV); docent cognatae Veneris statucae illustrissimae velut Mediceae vel Venetae vel Dresdensis, ubi deae Amores tam minuseculi in delphino adludunt, vix ut oculis eos deprehendas¹⁾; docent adprime picturae Pompeianae Herculanaenses, velut ille ridicule deminutus qui Hermaphrodito adsistit (Raoul Rochette choix tab. 10) vel magis etiam ioculares Amores ingentem Herculem apud Omphalen inludentes (ibid. tab. 19), quod scomma pictoris qui conspexerit,

1) cf. e. g. Clarac IV tb. 620 n. 1382 et 1379, tb. 627 n. 1412. Haec quae sunt de dei parvitate in statuis frequenter obvia parum respexit Helbig in Führer durch die öffentlichen Sammlungen t. I (1891) p. 8, ubi de Amore illo in statua Augusti: »Der auffällige Gegensatz, welcher zwischen der verkümmerten Bildung dieses Amor und dem ausdrucksvollen Motive der Hauptfigur obwaltet, erklärt sich ... unter der Voraussetzung, dass der Bildbauer für die Hauptfigur ein älteres Vorbild benutzen konnte, aber bei Gestaltung der Nebenfigur auf sein eigenes Erfindungsvermögen angewiesen war.« An credit revera vir eximius schema Amoris parvi in delphino vehementis sine exemplo fuisse Augustae aetate?

quis non Gulliveri mirabilium mihi reminiscetur? Conferas quae de Timanthe rettulimus in p. XV. Atque inde iocus etiam ille statuarii ortus est, qui Amorem ipsum stantem finxit satis altum, in eo autem detentum, ut alterum Amorem minutissimae mensurae humi stratum cum stupore contempletur quasi formicam in via invenerit (Clarac IV tb. 641 n. 1454 ex coll. Giustiniani). Hoc illud ingenium Lucilii est epigrammatarü. Unde ad posos illos inauditae parvitalis in nidulo una positos animum reflecto, quos repraesentavi in tabula huius libelli X.

Hinc autem deducitur quod in rosis delitescere videtur Camerius Catulli, in rosis subsidere assolet Amor (supra p. XVI).

Indidem, quod aufugit Eumecius Lucilii nec inveniri potest; aufugit nec potest inveniri Camerius Catulli; aufugit et Amor nec potest inveniri (supra p. XV).

Pueros minutos (*πύγχις*) Nilum deum circumvenire vidimus (supra p. XXI); Nili statuæ similitudinem indubitata primū quidem Tiberis fluvii signum prae se fert, cui adinat se lupa cum Romulo et Remo (v. effigiem apud Guigniaut tom. IV n. 523; Clarac IV tb. 749 n. 1819); tum vero illa statua Ostiae reperta (in sarcophagi operculo reposita; v. Clarac III 448, 822) mulieris grandis staturae, vestitae quidem, sed recumbentis ea corporis positione, quae Nili fuit: cui feminae notionem sive impersonalem sive divinam docti tribuebant; »die Erde im Winter« vocabat Wieseler. Iam non pueruli sunt, sed ecce Cupidines adprime parvi, qui circum eam repunt, nec alis, quas habent, utuntur. Imaginem proposui in tabula IV 1).

Satis trita scaena illa est qua Amor astragalus ludit cum Ganymede plerumque conlusore; quam in artem induxisse videri potest Apollonius Rhodius (III 114 sqq.), iteravit Philostratus Imag. VI (cf. Lucian. dial. deor. 4, 3); cum Venere idem agit Amor apud Meleagrum Anthol. Pal. XII 47; et idem agens cernitur in conclamata gemma Phrygilli (v. Roscheri lex. myth. I 1356). Egregie vero concordat, quod ipsum Augustum cum suis pueris talis ocellatis nucibusque ludere audimus apud Suetonium Oct. 83 (cf. p. XI) perinde atque Aesopum apud Phaedrum III 14. Quam rem etiam illustrant in simulacris infantes astragalus vel nucibus ingenue lusitantes velut infantes Medae (Helbig. n. 1262) et statuaria opera speciosissima quae p. XX in examen vocavi, nec non scaenae illae apud Gerhard. tb. 65 et in Atti dell' acad. Rom. di arch. t. II p. 149 et 170 2); cf. tabulam meam VII. Quoniam vero huius ἀστραγαλιζόντων conceptionis olim quasi praecursor praeclarus fuit Polycletus (cf. pp. XX, XXX), patet eam ex communi vita profectam ac postmodo in Amorem translata esse.

Augustus Sarmantum suum ad symposia adhibebat lepidumque esse putabat si Falernum bibebat pusio (Plut. Anton. c. 59); igitur si etiam potum nonnumquam fuisse Sarmantum tibi finxeris, non repugnabo. Similes pusiones in convivio potioni dediti cernuntur in

1) Minime integram servatam esse monendum est; interpolantur aëvo recentiore et caput deae et alias particulas, quin etiam non pauca in figuris Amorum, alas et primi Amoris et secundi (ex pedibus deae numeramus), tertium fere totum.

2) Subicio pilae lusum, quo et infantes gaudent (annal. instit. tom. 29 tab. BC) et Cupido (Gazette archéol. VI, 1880, tab. 4; et alias).

tabula mea quam numeravi IX (cf. quae contuli supra p. XXI). Sic etiam Iuppiter apud Lucianum dial. deor. 4 Ganymedem, puerum ibi fere sex annorum¹⁾, nectare suo participare vult. Adde quod Ausonius suam alumnam, de qua dixi p. XI, »Bissulam« (a bibendo sine dubio) sive *Ἐπίσωρον* appellavit²⁾, non sine simili sensu; quin etiam iubet lectorem, ubi eam celebraturus est: *ante bibas; ieiunis nil scribo* (Auson. XXV 3, 6 ed. Sch.); ergo harum deliciarum usus a comissionibus certe alienus non fuit. Conferas vero, quod etiam sarcophagi cum Amores comissatores catervatim vagantes saepenumero ostendunt³⁾ tum vero ipsos pueros non pinnatos eisdemque etiam in sacrificio occupatos, quod factum vides in tabula VIII huiusce libelli, ibique etiam unus vel duo ebrii depicti esse solent⁴⁾ — quem infantium abusum simul et festivum et indignum uno ore dixeris.

Pusionibus natantibus se oblectasse fertur Tiberius (Suet. Tib. 44). Id primum recordationem excitat picturae parietariae urbis Romae, in qua Venerem e mari emergentem pupi non alati circumdant multi, duo in aqua adnatant (v. Mittheilungen d. deutschen arch. Inst. in Athen I, tab. 2). Ceterum natantem Cupidinem habes apud Helbig. n. 820 b; item puerum sine alis apud Matzium n. 2789; pueros et Amores mixtim remigantes atque natantes in sarcophagis de quibus rettuli p. XXII.

Martialis nobis etiam in amphitheatri harena cum leone monstravit pueros teneros (p. XII); concludendum est, ni fallor, licet unum tantum huius rei nuntium acceperimus, eos etiam saepius ad operam harenae adhibitos fuisse; etenim ne semel quidem rem tetigisset Martialis, nisi eventum tunc inprosperum et miserabilem habuisset. Quodsi haec consuetudo fuit, an ex ea illud defluxit, quod Amores et in venatione ursorum deprehendimus (Helbig. n. 817; 818) et leonis et tauri certamini adstantes (ibid. 819)? Leonibus autem inequitare Cupidines inter frequentissima huius generis argumenta est (cf. Millin tb. 118 n. 454; Matz n. 293; 2258; 2274; Helbig. 783, al.). Plura eiusmodi atque audacius inventa adferre supersedeo⁵⁾.

Actum est de alis deliciarum supra p. XXIV. Ceterum de eorum ornatu hoc unum apud Herodianum comperimus, alumnos hosce Commodi aetate quamvis nudos auro et gemmis fuisse insignitos (Herodian. I 17; supra p. XI); igitur torques sive catellas in collo eos gessisse suspicio est, quae quidem in Amoribus identidem pictae cernuntur, cf. Helbig. l. l. n. 614 (»Halskette«); 759; 813; 1429, al.; etiam strophium n. 770.

Per simplissimam pennarum adiectionem ad Amores in arte transferri quae puerorum fuerunt, summa perspicuitate docet etiam puer Boethi ille cum ansere luctans. Eum puerum volatilem esse noluit Boethus, immo vitam ac veritatem solam cum fide sectatus est. Attamen huic quoque puero pennae succreverunt. Talis est — ut uno documento

1) cf. infra p. XXXVI.

2) De hac nominis forma cf. *Ἐπίσωρος* Anthol. Pal. VII 285. Rescribendum autem esse apud Ausonium l. l. *Ἐπίσωρος* olim monui De partic. perf., proem. Marburg., 1883/84 p. XVIII adn. 5.

3) vide e. g. Clarac II tb. 132 n. 112; cf. Helbig. n. 757.

4) Huius ebrietatis causam profundiorē quaerebat Petersen l. l. p. 408; et cf. Conze Archaeol. Zeitung XXV p. 99; Duetschke l. l. III n. 449.

5) Bigis vehuntur apud Clarac II tb. 162 n. 88—90; unus cum apris per circum volitans in anaglypho Vaticano, v. Friederichs-Wolters l. l. n. 1900; alia.

defungar — Amor anserem non sine vi sub brachio portans, inter signa quae ad aquam salientem adhibebantur (cf. Baumeister Denkm. n. 387).

Sed aliae insuper plurimae congruentiae accedunt, quas tamen ex artis operibus cum supra abunde contulerim p. XXII, hic iterare laedet, praecipue illa, quae in vineto puero et vineto Amore deprehensa est (cf. tabulam meam VI). Et minus quidem forsitan huc referri posse dixeris conceptionem statuariam clarissimam pueri spinam sibi extrahentis, quae quo potissimum saeculo primum orta sit, litigarunt doctissimi iudices; concedo enim hunc quidem inter »minutos« minime esse recensendum, quippe qui ad minimum plenum octennium viderit¹⁾; nihilominus memorabile aio, quod etiam hanc conceptionem transferre in Amorem non dubitarunt; vide Helbig. n. 629, Annales instit. t. 48 tab.O.

Denique subicere audeo etiam hoc. Amor ubi cum papillione rem habet, sive filo ligatum trahit sive alisprehendit sive face incendit, crudelitatem puerilem exercens, fere semper puer minutus est; cuius ludicri sensum metaphoricum tenerum sublimem enarrare huius loci non est²⁾; inventio vero ex puerorum vita manavit. Etenim papilionum capturam et cruciatum pueris placere quis ignorat vel non expertus affirmabit? atque etiam adferri potest quod cum scarabaeis volantibus filo nexis petulanter lusum gerunt apud Aristophanem Nub. 763, Vesp. 1342 (ubi vide schol.), Herondam (mimiamb. fr. 14 ed. Buech.). Iusto iure igitur etiam non alatus puer papilionem digitis tenet in sarcophago edito Archaeol. Zeitung a. 1872 tab. 59.

Plura vero huiusmodi, quae quo leviora eo graviora sunt — et prae ceteris quidem compositiones illae puerulorum in nido sedentium — etiam postmodo, ubi res feret, per huius libelli decursum obvenerint (cf. p. XXXII).

V. De Alexandrina Amorum et deliciarum origine.

Reliquum est ut de deliciis illis, quas simul et vita Romana praestabat et artis ingenium excolebat, consummemus tandem quae disputata sunt et de ipsis originibus earum disquisitionem postremam, si dis placet, eandemque non supervacaneam instituamus.

Et haud scio equidem an sit, qui contrariam viam praeferat quam qua ego inaccessi sumatque inventionem Amorum illorum, quorum propria sunt aetatis teneritudo, numerositas, nuditas, pro ipso principio potius habendam esse, ex quo deducta sint reliqua, inde demum infantium alis carentium plasmata esse profecta, ex hac denique artis consuetudine in vitam demum illatum esse deliciarum amorem de quo rettuli. Hoc vero qui sumit, plane mihi aliena captare et a natura desciscere videtur, atque propter hanc unam et simplicem rationem declino sententiam atque reformido. Sed etiam historiae memoriis hoc loco paucis vacare interest, quo in negotio quod a vascularibus picturis

1) De statuis diversis disputavit C. Robert in Annal. instit. t. 48 p. 124 sqq.; adde statuam Parisinae Rothschildianae imagines in Gazette archéol. VII (1881) tab. 9—11.

2) cf. O. Jahn Archaeol. Beitr. p. 143.

abstinebo, id facile vel probationem habebit vel excusationem. Iam vero praecessisse in arte constat non Amorum infantium, sed infantium alis carentium figurationem. Astragalizontes Polycleetus olim dederat, quod signum quia delicatissima illa Plinii aetate summo plausu exceptum est, pueros hos teneros vixdumque puerascentes fuisse veri simile dico; ceterum austero Phidiae saeculo qua duritie et habilitatis defectione infantilia corpora conformaverint caelatores, documento est figuratio monumenti sepulchralis Atheniensis notissima quam exhibui in tab. I¹⁾. Nec multo proventus Praxiteles est in Baccho puero quem ulnis fovet Mercurius; hoc idem autem argumentum etiam tractaverat Cephisodotus, qui etiam Pacem cum Pluto²⁾; Tychen cum Pluto Xenophon. Caelo satis prospero elaboratus pupus servulus conspicitur in stela illa Atheniensi ad Ilissum inventa. Iam vero ipse Zeuxis penicillo et »Herculem infantem dracones strangulantem« et »puerum uvas ferentem« descripsit, idem Centauros cum parva prole; porro Parrhasius »Thressam nutricem infantemque in manibus eius«, idem »pueros duos« ex quibus spectabatur »securitas et aetatis simplicitas«; denique Aristides Thebanus »ad matris morientis mammam adrepentem infantem«; haec vero Aristidis tabula Alexandri Magni animum adeo commovit, ut Thebis Pellam transferret. Ita factum ut ipsius Alexandri aevo Sicyone effloresceret ars Pausiae. Hic Pausias ne ipse quidem Cupidines infantes pinxisse traditur, traditur pinxisse »parvas tabulas maximeque pueros« iterumque idem absolvisse »uno die tabellam quae vocata est hemeresios puero picto«. Quas quidem Pausiae munditias vascularium picturarum comparatione illuminare conatus est Furtwaengler³⁾; cum magna enim veri specie conicitur praecipue minutos fuisse »pueros« illos Pausiae; secure autem saltem interfuisse minutos dixeris; id quod vel illa tabularum parvitas commendat; quin etiam si quis in pueros pingendos totam vitam vel plurimum aetatis impendebat, ille in eo erat sine dubio, ut certum et stabile artis et argumenti genus (»Genre«) excoleret; ad quam rem nihil mehercule aptius pueris infantibus fuit⁴⁾. Eidem quarto saeculo etiam caput pueruli marmoreum tribuitur nuper Cypri eruderatum et artis perfectione et laetissima vitae imitatione conspicuum⁵⁾ (Amoris fuisse omnino non constat), cuius ars affinitate quadam iuncta est cum puero exsculpto in stela illa quam publicavit E. A. Gardner⁶⁾. Secutus deinde est ipse Boethi infans anserem strangulans quem exhibui in tabula II; in quo admirando iam opportunus Herondae

1) Desumpta ex Sybelii Weltgeschichte der Kunst p. 191.

2) De capite Plutii pueruli Cephisodotei quale primitus fuerit, nunc quidem constare videtur; v. Mittheil. d. deutschen Instituts in Athen VI tab. 13 et quae ibi disseruit Koehler p. 363 sqq.

3) Der Dornauszieher und der Knabe mit der Gans p. 57. Ceterum cf. Helbig Untersuch. p. 202.

4) Apellis nomen consulto praeterii, cuius quidem Anadyomenae num etiam Amor sive Amores complures minuti adiecti fuerint, ni fallor, prorsus inexploratum est; memorabile, quod in pictura urbis Romae inferioris saeculi, quam p. XXVIII significavi, ex imo mari enatanti Veneri pusiones (non Amores) ludentes exsultantes numero quindecim circumfunduntur quasi Amoribus substituti; at vero de Apellis tabula nihil inde concludebat Benndorf l. l. p. 64. Videntur mihi fere in hac pictura lautitiae balnearum Romanorum in simpliciore Apellis compositionem temere esse interpolatae.

5) cf. Journal of Hellenic studies vol. IX p. 218 sq., tab. 10.

6) ibid. vol. XI p. 105. Monuit L. de Sybel.

mimiambus incidit (IV 31) ὄρη ... τῆν χηναλώπεκα ὡς τὸ παιδίον πρίγει. Sic tandem postquam puerorum minorum amor per Pausiae imprimis tabulas inter artifices propagatus est, etiam Amores puros coeptos esse videmus celebrari aevo Ptolemaeorum et Attalorum.

Et haec quidem hactenus. Iterum autem adpono inter doctos fere pro explorato haberi Amorum horum minorum inventionem debitam esse Alexandrini polissimum aevi ingenio et ipsi adeo urbi Alexandriae (cf. supra p. XVII sq.). Iam vero probabile esse arbitror delicias, quibus effusa luxuries Romanorum in vita communi oblectabatur, ipsas quoque Alexandria Romam profectas atque translatas esse, ita ut *παιδία* illa *γυνάδια* *τρέφουσι αἱ γυναῖκες* non solum in Liviae comitatu, sed iam antea in Arsinoes similiumque reginarum et regum fuisse existimare liceat. Hoc dubitatione caret: emere debebat si quis alumnus minutum alienigenum comparare sibi volebat; et Augustum quidem Mauros vel Syros praecipue coemisse vidimus supra p. XI. Testis accedit Seneca ad Serenum c. 11, 3 qui de iisdem pueris procacibus verba facit »quos mercantur«. Alexandriae vero polissimum hunc mercatum fieri primum quidem auctor est Statius; hic enim Silv. V 5 v. 66 ex Aegypto Romanos »delicias«, ex Aegypto »infantem qui didicerit Nili convicia« mercari asseverat. Deinde vero penes Quintilianum fides est, qui I 2, 7 gravissima testificatione, quam in hunc usque locum retinui, universi huius deliciarum generis severus obiurgator, ut una voce comprehenderet, »Alexandrinās delicias« distincte appellavit (de hoc loco cf. p. XXXVII). Quod si ita se habuit sique hic quaestus Alexandriae fiebat, etiam ipsum harum deliciarum studium Alexandriae apud locupletes plurimum valuerit necesse est. Neque igitur signum Nili cum tot pusionibus caecae fortunae donum fuit; immo Aegyptiis ipsis nimis placebant pusiones; atque Aegyptios esse qui nomen *πύχεις* excogitaverint, expressis verbis testificatur Lucianus l. I. (supra p. XXII). De pompa Bacchica admirabili, quae sub Ptolemaeo Philadelpho Alexandriae acta est, haec testatur Callixenus apud Athenaeum V p. 197 sq.: post aram maximam incedebant *παῖδες ἰκατὸν εἴκοσι*, iterum autem versus finem pompae etiam *παῖδες χίλιοι καὶ ἑξακόσιοι* (cf. p. 200 A); omnes vero vestibibus ornati; neque cuius aetatis fuerint, memoratur; minutos fuisse noli credere. Magis apposite adfero quod de Cleopatrae lautitiis supra relatam est p. XXIV; haec certe Aegypti regina etiam minutis usa est¹⁾. Videsque conclusionem. Scilicet Amores infantum ab artificibus Alexandrinis propterea sunt inventi quia vita Alexandrina infantes alumnos in deliciis habuit.

Hanc autem quaestionem cum vix confecerimus, inviti ecce in aliud artis zetema incurrimus. Socordiae enim crimine haec disputatio sane laboraret, nisi illarum ima-

1) Hic vero cui non se inferet etiam Moysis Iudaei recordatio? quem puerulum »pulchro candentem corpore« in Nilo expositum invenit Aegyptiaci regis filia:

Quae cupiens servare sibi tam dulcia formae
Gaudia et eximiae praestantem frontis honorem ...
Imperat acciri.

Sic res narrata est in Exodo carmine v. 47-68 ed. Peip.

ginum mentionem iniceret gratia lepore hilaritate abundantium, quae ad tractationem et doctos homines et poetas allicuerunt. Earum argumentum celebratum quidem est in carmine experientissimi nostratium poetarum sub indice: »Wer kauft Liebesgötter«. Imagines ipsae inspicere possunt apud Millin l. l. t. 46 n. 193*, Guigniaut l. l. n. 404, Zahn Ornamente II 18, Baumeister n. 545; easdem enarravit Helbig n. 824 et 825. In iis Amores volucres complures nimia quidem minutia insignes in cavea una asservantur et venum eunt; vendit vero modo mulierecula, modo senex habitu operarius; emunt fere mulieres, non viri¹⁾.

Huius intricatioris, ut videbatur, argumenti rationem ut extricemus, iam ne ad aliena auxilia evagemur, dehortor. Vitae cottidianae imitationem lusu exprimere solent Amores; deme alas: habes pusionum mercatum Alexandrinum illum de quo modo verba fecimus. Et emere vidimus mulieres: nempe *τρέφονται αἱ γυναῖκες*, ut testatus est Cassius Dio. Quod autem in cavea sunt, id ex avium volatiliū similitudine recte quidem repetivit Jahnius²⁾. Constat autem simul etiam de nanis, in »loculis« eos crudelissima ratione coerceri et »adservari« solitos esse³⁾. Potuit id oblinere etiam in quaestu puerorum.

Itaque tres res fuerunt quae ad excogitationem harum tabularum contribuerunt: et ipse puerorum mercatus Alexandriae sollempnis, et avium similitudo, et illud, quod etiam fictiles Amoris figuras operarii venum dare consueverunt; talis Amor cereus fictilis venit in Anacreonteo carmine 10: *Ἐρωτα κήρινόν τις τεηνίης ἐπάλει*.

Abstinerere autem non possum quin Meleagri carminis de Amoris mercatu partem luculentissimam huc transferam, quod extat Anthol. Pal. V 178:

*πωλείσθω, καὶ ματρὸς ἔτ' ἐν κίλποισι καθέδρον,
πωλείσθω. τί δέ μοι τὸ θρασὺ τοῦτο τρέφειν;
3 καὶ γὰρ σιμὸν ἔφην καὶ ἐπόπτερον . . .
7 πάντα τέρας. τοιγὰρ πεπράσεται εἴ τις ἀπόπλους
ἔμπορος ὠνεῖσθαι παῖδα θέλει, προσίτω.
καίτοι λίσσει, ἰδοῦ, δεδακρυμένος. οὐδ' ἔτι πωλῶ,
θάρασει Ζηνοσίλα σὺντροπος ὠδε μένε.*

1) Seponendam vero esse censeo picturam vascularem delineatam apud O. Jahn, Arch. Beitr. tb. 7; in qua iuvenis et puella contrarii consistunt; puella libram dextra tenet, in cuius lancibus duabus pueri alati singuli sedent. Jahnius puellam in eo esse credebat ut iuveni Amores venderet. Quod fieri non potuit; quis enim umquam ita mercem vendidit ut in utraque lance poneret, non in una? Ego hunc explicatum longe praefero; Amores duo Ἐρως sunt et Ἀντέρως; nempe pueruli non frustra invicem contuentur. Eos in trubina librat mulier; et quidem Amorum alter qui ad iuvenem pertinet, levior est; alter, qui puellae propior, in lance alte descendit. Sic graviolem suum amorem esse dum demonstrat puella, oculo recto austero virum aspicit; hic vero perturbatus oculos declinat.

2) Cum Iuseiniis Theocritum Cupidines contendere supra vidimus; ὄσον ὄρνις Amor dicitur apud Moschum l. l. 16; item apud Nonnum 3, 120; 10, 256; alia congescit O. Jahn l. l. p. 211 sqq. Ceterum cf. Helbig Untersuchungen p. 238 et 223.

3) Plinius VII 75: *Manium Maximum . . . binum cubitorum fuisse auctor est M. Varro, et ipse vidimus in loculis adservatos*; cf. Pseudo-Longin. *περὶ ὑψους* c. 44, 5: *τὰ γλωττόκομα ἐν οἷς οἱ πνευμαῖοι καλούμενοι τρέφονται*.

Vide mihi quam curiose Meleager puerulorum similitudinem minutorum observaverit. Hos enim »alumnos« et esse et vocari supra apparuit; hinc Meleager et *τρέγειν* scripsit v. 2 et *σύντροφος* v. 10. Iam vero in v. 8 etiam de »mercatore« verba sunt »navigaturo«: ergo in urbe maritima, qualis est Alexandria, res agitur. Et ille quidem iam postulatur ut emere pusum velit et iam accedat ad mercatum: *εἴ τις ὄνεϊσθαι παῖδα θέλει, προσίτω*: unde eximie illustratur, qua ratione transmarini pusiones Romam venerint; Romam ferebat ille *ἐμπροσθ ἀπόπλους*. Harum rerum testis oculatus esse poterat Meleager vel Tyri vel Gadaris vel in insula Coo¹⁾.

Ceterum in isto »Amorum mercatu« etiam avicularum similitudinem observatam esse artificibus dixi; eius rei nullum clarius documentum est quam nidi Amoribus repleti in quibus figurandis identidem sibi placuit Alexandrinum ingenium (cf. Helbig. n. 822; 823); sed enim illi avium nidi non solum in Amores translati sunt, sed in pusos omnino. Pusi enim dum glomerati complures una subsidunt, feturae pullorum sane speciem habent; cuius rei exemplum dedi signum una dormientium in tabula V²⁾; de cuius signi antiqua origine non prorsus constat³⁾; utique tamen ad propositum facit. Sic tandem explicantur puerulorum alis carentium nidi in arbore marmorea illa Vaticana (in Mus. Pio Clem. VII 9; Jahn p. 212), sic nidus similiter comparatus Pompeianae picturae iucundissimae quam expressi in tabula X⁴⁾.

Miro autem errore sibi persuaserunt docti Amorum nidos illos quasi magis genuinos prius ab artificibus inventos esse, postea demum pusorum. Equidem contendo docetque harum rerum universarum consequentia verum esse contrarium. Quid enim? an negligi posse in iudicio ferendo putarunt viri optimi testimonia scriptorum et ipsum Horatium? Sic nempe nonne etiam Horatius claris verbis *se* puerulum *pennis maiores nido extendisse* dixit (epist. I 20, 21)? an forte Cupidini ibi se comparavit poeta? immo vero avibus. Nonne idem Horatius *tu nidum servas* quasi ad »vetulum columbum« (epist. I 10, 6)? nec non idem de se infante et de loco suo natali *carm. III 4, 14: puerum pulumbes texere, mirum quod foret omnibus, quicumque celsae nidum Acherontiae ... tenent* — ne illud adlegem quod est Iobis in Vulgata versione 29, 18: *in nidulo meo moriar*. Nonne et ipse Aristophanes *Nub. 999: τὴν ἡλικίαν ἐξ ἧς ἐνεοτιτροφίθις?* Atque *νεοσσὺς* nonne infantes etiam Euripides appellaverat (cf. e. g. *Alcest. 403*)?

Hac igitur via factum videtur ut etiam lupa cum Romulo et Remo stans effingeretur in nido, qualia observantur in sarcophago edito in *Annal. instit. t. 40 tab. OP.* Neque mirum profecto, quod ne in illis quidem divinis infantibus, qui ex ovo Ladae pullorum instar nascuntur, de alis omnino cogitarunt; inspicere modo anaglyphum apud C. Robert *Die antiken Sarkophagreliefs vol. II tab. 2.*

Sed enim plura succurrunt. Ex hac enim avium aequatione etiam omnia illa infantulis edita explicatum accipiunt quale fuit omen de Caracallo et Geta (Spartiani

1) cf. *Anthol. Pal. VII 419, 5 sq.*

2) *Ex Clarac V tb. 875 n. 2236 C.*

3) cf. A. Michaelis *Ancient marbles* p. 487.

4) *Ex Museo Borbonico I tb. 24; cf. Helbig. n. 821; Annales instit. I tb. E1.*

Getae 3, 2): *statim ut natus est (Geta) nuntiatum est ovum gallinam in aula peperisse purpureum; quod cum allatum Bassianus frater eius accepisset et quasi parvulus adplosum ad terram fregisset, Julia dixisse ioco fertur: Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti. Sic igitur ovum qui frangit, puerum frangit. Similiter ovum purpurei coloris imperium Alexandro Severo portendebat (Lamprid. 13, 1). Indidem autem etiam manavit proverbialis locus ille summi ponderis apud Iuvenalem 13, 140 sq.:*

Ten — o delicias — extra communia censes
 Ponendum, quia tu gallinae filius albae,
 Nos viles pulli nati infelicibus ovis?

Eodem porro redit quod cum Abeare nano *sinzar* avicula componitur in carmine quod supra p. XIV recensui, v. 13. Eademque ratione etiam facetiae, ni fallor, de Corace rhetore propria vis agnoscitur, quam Cicero scripsit De oratore III 81: *Coracem istum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui evolent clamatores odiosi ac molesti. Nec non Ceres quoque filiam quaeritans cum alite comparatur aestuante, ne »nidus fragilis« praeda colubris fiat (Claudiani Rapt. III 141 sqq.).*

Hinc vero ad vocem *pullus* oratio delabitur. Haec vox apud Romanos sensu speciali ac principali ad aves attinebat (glossae Abavus: *pullos filios avium*); nihilo minus — sive mavis, propter hoc ipsum — Caligula a militibus qui infantiam eius viderant *pullus et pupus* salutabatur (Suet. Cal. 13). Haec autem servavit Festus p. 245 M: *antiqui puerum quem quis amabat pullum eius dicebant. Est igitur in voce etiam caritas. Unde tandem Horatius Sat. I 3, 45 de patre, qui filium per vitium naturae nimis pusillum habebat: pater si cui filius est male parvus, pullum appellat. Sentis iam mihi, sentis quo iure pupi vel sine pennis pulli videri potuerint et in nidis effingi¹⁾.*

Et ipsum vocabulum quod est *pullus* utrum ex *put-bus* (*putillus*) ortum sit an ex *puellus* elisa E vocali parum curavi. Certe is quem *puellarium* nuncupare videtur Petronius c. 43 (?), *pullarius* audit in glossis Graeco-latinis ubi clare respondet Graeca vox *παιδο-φραστής* (ed. Goetz. p. 392). Eodemque sensu *pullaria felis* est apud Ausonium epigr. 65, 5²⁾. Nec hoc satis; nam ecce mihi etiam confusae voces pullorum pipantium et puerorum blaterantium pari loco habitae sunt a doctis antiquis, qui de animalium vocibus confusis collectanea fecerunt: Aldhelmus ad Acircium inter avium voces recenset hoc: *pulli et pueri pipant* (Sueton. ed. Reiff. p. 248; item ibidem p. 252 glossarium quod ediderat

1) Mirum est in Varronis Virgula divina (Menipp. 565 sqq. Buech.) quattuor fragmenta ad aves et nidum spectare:

565: et pullos peperit fritinnientis
 566: quos non lacte novo levata pascat
 567: sed pancarpineo cibo coacto
 libamenta legens caduca victus
 568: ad quos cum voculeris venit putillos
 usque ad limina nidi amica (?) vilis.

An haec etiam in humanam vitam vertebat Varro? id commendari possit ipso fr. 566.

2) cf. ibid. v. 8: *Lucili vatis subpilo pulliprema* (?).

hriarte). Et *pipionem* alitem iocose vocari novimus; *infantes* vero *pipiantes* vocavit Terullianus monog. 16¹⁾).

Postremo autem huic disputatiunculae cumulum adferunt verba et paucissima et explanatissima, quae ad tabulam huius libelli X plane pro indice adscribi possint; verba sunt *ροπιτιῶν τέκνων* quae inter comoediae fragmenta docti recensent (com. fr. adesp. 873 Kock.) debita illa Herodiano, qui et citabat et adnotabat: *ὁ γοῦν λέγων ροπιτιῶν τέκνων ἀκυρολογεῖ κτλ.* Vereor itaque ne etiam pluribus recepta fuerit haec locutio.

In hac tanta pusionum atque avium conexione primum quidem iam non mirabimur, qua lege etiam pueros alis carentes per aerem volitantes pingere ausi sint; quod observatur e. g. in tabula urbis Romae de qua supra adnotavi p. XXVIII et XXX adn. 3.

Aliud vero ac multo gravius est, quo tendimus. Alexandrini nempe artifices, cum post Pausiae »pueros« ipsi quoque pusiones delicatos formare gestirent, in ingeniosam illam Amorum inventionem et aliis fortasse rationibus et hac ipsa re quam disputatione inducti sunt; certe sollemni illa infantium et pullorum volatilium comparatione venustissima invitabantur, ut etiam pennas aptarent infantibus; qui infantes pennati dum excogitantur, eo ipso »Amores« facti sunt; tantum enim valuit nimirum ipsius Amoris dei aligeri conscientia, qui fere mellephebus usque eo sive puer provectoris aetatis fictus erat. Denique elegantissimae inventionis, ni fallor, origo duplex fuit: et Amoris mellephebi tralaticia celebratio continuata et pusionum mortalium amor, quos cum avibus aequiperabant. Sic tandem et multitudo Cupidinum explicatum habet et parvitas. Neque unquam fere in Amoribus similitudinem avium sunt obliti; cogitemus modo Theocriti, testis principalis, locum XV 120 sq. (cf. p. XXXII adn. 2).

VI. De Amoris et puerorum garrulitate.

Tot tantaque in interpretatione Catulli de Amoribus verba facienda fuerunt. Tandem vero ad Camerium Catulli retro vertamus. Neque enim ab eo deerravit oratio nisi ut ipse quis fuisset apparere posset. Quo iure Catullus et minutum eum esse indicavit et nudum esse dixerit demonstratum est. Superest tertia eiusdem virtus non minus apta illa ad commentarios conscribendos. Mirari enim possis quod Catullus auferre Camerium omnino non conatur, sed tantummodo loqui eum vult et gravi cumulatione arguet *ede audacter, committe, crede lucei* (v. 16); magis etiam, quod totum poema concludit haec

1) Et cf. Varro L. Lat. VII 103. Consulto talia plerumque omisi, ubi non infantes, sed homines omnino cum avibus compositi sunt; qualia frequenter comoedia; Plauti Cas. I 50: *meus pullus passer* eqs.; Asin. 693: *dic igitur me anaticulam ... passerculum putillum*; ibid. 209: *quasi columbae pulli*; cf. E. F. Wortmann De comparationibus Plautinis et Terent. (Marburgi 1883) p. 36 sqq. Ex Avibus Aristophanis praecclare et alia huc trahi possint et vv. 1284 sqq. (*ὄρνιθομανοῦσαι κτλ.*). Denique submoneo versum illum *ἄπηγα τυτθόν, ἄρτι γυμνόν ὀστράκων* non comici fuisse videri (fr. adesp. 1291 Kock.), sed Aeschyli (fr. 328 N.) neque constare de homine haec dicta esse.

adiciens: si lingua non utatur Camerius, fructus omnes amoris proici (v. 19); etenim Venerem praecipue verbositate gaudere (v. 20). Quis umquam, quaeso, id sustinuit, quis sustinebit in verbosa loquella omnem fructum amoris positum esse? vel ea ipsa venerem effici?

Iam vero de pusiis hominum lautorum deliciis apud historicos feliciter etiam hoc traditur, quam maxime eos placuisse propter garrulitatem; Cassius Dio utroque loco quo τὰ παιδία τὰ γυμνά commemorat curiose adiecit adiectivum τὰ ψιθυρά, id est *garrula* vel *nugas loquentia* (supra p. XI et XVIII fin.). Testis alter idoneus producit Suetonius in Octav. c. 83 verbis appositis *facie et garrulitate amabilis* (cf. p. XI). Nimirum garrulitas et puerulorum et senum propria est; scurras autem et infantes verum dicere proverbium; sic id ipsum quod in senibus molestum, in pusionibus festivum visum est.

Praeclarum exemplum infantis garrientis Callimachus posteris reliquit in hymno Dianae (III v. 6 sqq.); ibi Diana infans gremio Iovis se acclinans verba fundit vola faciens puerili modo tamque placet patri ut nil ei denegat.

Clarum exemplum infantis verum loquentis delineavit Claudianus in Laude Serenae v. 97 sqq.: Serenam pupam Theodosius patruus osculatur et in brachio ad sua tecta fert; tum illa teneris querellis in matrem conversa:

»Quid me de propriis auferre penatibus? inquit;
»Imperat hic semper«.

Hoc quod est *imperat* praesagium fuit imperii Theodosiani; »dedit augurium regnis infantia linguae«. Et infinitivus *auferre* fere structura caret; expectabatur *aufert*; sic »infantia linguae« depingitur.

Nec differt fere historiola de Caracallo quinquenni puero qui vocem fatalem emisit, apud Spartianum in Septimio Severo 4, 6: *cum humi iacens epularetur (Severus) cum filiis parca cena, pomaque adposita maior filius, qui tunc quinquennis erat, convulsoribus puerulis manu largiore divideret paterque illum reprehendens dixisset »parcius divide, non enim regias opes possides«, quinquennis puer respondit: »sed possidebo« inquit.*

Sed de ipsis deliciis quae proprie vocantur exempla similia non desunt; velut in Marco quodam parvulo laudatur quod *dulci sermone fritinnit* (anthol. lat. Ries. 441, 5); Martialis autem V 34, 8 de Erotio sex annorum infante: *ludat lasciva, ait, et nomen blaeso garriat ore meum.*

Perspicio autem exemplo etiam Cassius Dio XLVIII 44 illustrat quantopere »linguam in clauso ore non tenerint« alumni et verum sine consilio blaterantes attigerint; accidit autem in nuptiis Octaviani et Liviae (cf. supra p. XII et XVIII): *παιδίον τι τῶν ψιθυρῶν, οἷα αἱ γυναῖκες γυμνά ὡς πλήθει ἀθύρουσαι τρέφουσιν, ἰδὼν χορὴς μὲν τὴν Αἰουτίαν μετὰ τοῦ Καίσαρος, χωρὶς δὲ τὸν Νέθωνα ... κατακείμενον, προσῆλθε τε αὐτῆ καὶ ἔφη· τί ποιεῖς ἐνταῦθα, κυρία; ὁ γὰρ ἀνὴρ σου (δείξας αὐτὸν) ἐκεῖ κινάκεται.*

Nihil vero eius generis in litteris mimice compositis vel dulcius vel quod magis animum demulceat, legere memini quam confabulationem Ganymedis infantis cum magno Iove institutam apud Lucianum dial. deor. 4; id enim ibi adsecutus est Lucianus, ut et

gratiosam vitae ignorationem et amorem fabulandi et continuum illum ac simplicem interrogandi impetum puerulorum proprium graphice exprimeret cum summa veritate. Atque ipse ibi Iuppiter iudicat § 3: *ὡς ἀφελῆς ὁ παῖς ἐστὶ καὶ ἀπλοῖκός καὶ αὐτὸ δὴ τοῦτο παῖς ἔτι*. Est autem Ganymedes hic, qualem Lucianus descripsit, idem ad Iovem, quod Sarmentus ad Augustum, Camerius ad Catullum.

Denique si quis huiusmodi sibi pueros comparabat, linguae eorum protervitatem primariam condicionem faciebat; id tradit Seneca Ad Serenum c. 11, 3 exponens de pueris »procacibus« et »solutissimae linguae«, quos non modo »mercati sint« Romani, sed »impudentiam« eorum etiam »acuerint«. Jam vero hac loquacitate quosnam pusiones magis commendatos fuisse praesumpseris quam Aegyptios vel Alexandrinos? Id enim ex ipsa eius gentis indole colligere sane licebit; sed etiam testatur Statius »Ad puerum suum« Silv. V 5 memorans v. 66 (cf. p. XXXI) ex Aegypto emi a Romanis »loquaces delicias«, ex Aegypto »infantem qui didicerit Nili convicia, lingua salibusque protervum«¹⁾.

Egregie vero concinit Quintilianus I 2, 6 sq. castigans indulgentiam, qua sui temporis nobilium filii infantes educuntur: *nondum prima verba exprimit (infans) . . . iam conchylium poscit . . . gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu et osculo excipimus. Nec mirum: nos docuimus, ex nobis audiunt*. Nullus fere in litteris locus luculentius demonstrat et quam receptae Romae fuerint Alexandrinae illae deliciae et quam clara in iis habita sit sermonis licentia (cf. p. XXXI). A quibus deliciis »pueri conlusores« nimirum quadamtenus sunt diversi; etiam hos certa consuetudine aliquid valuisse in educatione infantium idem Quintilianus prodit I 1, 7, ubi postulatur ne vitiosus eorum sermo sit et ut recte Latine loquantur; pari autem loco cum nutrice habentur; ergo ne ipsi quidem ingenuorum filii erant. Tales illi conlusores sunt Caracalli de quibus diximus in p. XXI et XXXVI.

Unde ad Nili statuam rursus deferor; pueros ibi qui *πήγεις* appellantur Aegyptiacos esse per se patet (cf. p. XXXI); loquacitatem exprimere non potuit quidem sculptor; nihilominus Philostratus in descriptione (Imag. V) non omittit etiam hoc supponere: *προζέγεται οὖν καὶ οἶον ἔρχεται αὐτῷ (sc. τῷ Νείλω) ἐκ τοῦ ὕδατος βροχῆ ἀπυλὰ καὶ μειδιῶντα, μετέχειν δὲ οἴμαι τι ἀνὰ καὶ τοῦ λόλου*: propriam ecce loquacitatem expressam sentire sibi visus est sophista!

Atque hic dum finem facere libello coronidemque suppingere decerno, rursus ecce in chartulam Cupido minusculus nobis involat; ubi enim de linguae protervitate pusionum agitur, suam rem agi putat et ipse proterve quasi clamat atque vociferatur nefas fore, nisi respiciatur. Et agitur sane hoc loco Amoris causa neque decebat praeterire deos infantes. Quin immo quod antea de deliciarum mortalium et immortalium communione et consanguinitate contendimus et plurimis argumentis munivimus, sic tandem omnibus calculis comprobatum erit. Nempe etiam Amor *παιδίον* est *ψιθυρόν*; etiam Veneris filiolus indolem habet pueruli Alexandrini.

1) cf. de garriendo etiam Stat. Silv. II 1, 47; 56; 62.

His ille moribus moratus est; in homines et deos Veneremque ipsam modo placidus modo petulantior vaga et puerili licentia utitur; mater si quid vult, rogare nullis verbis et adblandiri nato debet, cf. Verg. Aen. I 663 sqq., Ovid. Met. V 365 sqq., Nonni Dion. 33, 149 sqq., item Philostrati iun. imag. p. 402, 32 ed. Kayseri.

Quia autem puer est, non longas orationes habere assuevit, sed plerumque vel sine verbis ullis sagittis et face animos vulnerans incendens summa velocitate suam rem gerit; saepe autem gerit insolentissime; ἔχει δ' ἰαυδὸν τὸ πρόσωπον Moschos l. l. v. 12; Ὁρασὺ παιδάριον audit Anthol. Pal. V 178, 4; cf. 309, 2. Eius autem insolentiae exempla facile praetermittimus, nisi forte quod turpissimum inveni Cupidinis mingentis in podice philosophi lascivientis anthol. Lat. Ries. 374¹⁾.

Verba ubi facit Cupido, pauca esse assolent. Dulci autem loquella praecellit et garrir semper: κακὰ φρένες, ἀδὸν λάλημα Moschus l. l. 8; ἔστι δ' ὁ παις γλυκύδακρυς ἀεὶλαλος teste Meleagro summo Amoris praecone anthol. Pal. V 177, 3; et iterum teste eodem ibid. 178, 5: τὸ Ὁρασὺ τοῦτο (παιδίον) κλαῖον πολλὰ μειαζὺν γελᾷ, ἄκρα δ' ὄνηξιν κνίξει, πρὸς δ' ἔτι λοιπὸν ἄτρεπτον ἀεὶλαλον. Unde etiam de eo Constantinus grammaticus in carinine altero (apud Bergkium p. lyr. III) v. 35:

γλυκιστὴν ὅσα προῆκεν
διὰ τὸν πόθον λαλῶν μοι.

Atque perpetuo sono quasi aures obsidet Amor: αἰεὶ μοι δινεῖ μὲν ἐν ὕσσιν ἦχος Ἐρωτός: ita Meleager Anthol. Pal. V 212, 1.

Et ubi rosarum spinis vulneratus est, »frendens« ad matrem currit et quaerit (anthol. Lat. 86, 7): Unde rosae, mater, coeperunt esse nocentes eqs.?: nec aliter querulus est in Anacreonteorum c. 33 ubi apis digitum eius pupugit. Ceterum comitatem quandam superbiae admiscet in Luciani Dialogis deorum cum Iove vel Venere sermonem serens (ibi cp. 2; 12; 19); saepius minax iram adiecit superbiae. Et latiore quidem sermone increpat Apollinem Ovid. Metam. I 453 sqq., in Iovem invehitur in Nonni Dion. 33, 113 sqq.; plerumque aliis insultans (ὀβριστηκῶς ἐπιωθάζων velut ubi cum Ganymede astragalus ludit, Philostrati iun. imag. cp. 8) pauca verba iacit: tale est eius cum Marte de armis colloquium Anacreont. 27 A; tale est quod ibidem c. 29

μέτωπα σείων
ἀπαλοῖς πτεροῖσιν εἰπεν
σὺ γὰρ οὐ δύνη φιλῆσαι.

Tale etiam apud Moschum dicerium Amoris aratoris in Iovem (anthol. Planud. IV 200):

πλήσον ἀρούρας,
μὴ σε τὸν Εὐπώης βούν ἐπ' ἄροτρα βάλω.

Excellunt autem hac quoque in re Propertii venustissimi elegi II 29, 7 sqq. ubi minuta Amorum turba, dum nodum inicit collo poetae: *arripite hunc*, inquit, *iam bene nostis eum* eqs.; quocum aliquatenus comparari possit c. Anacreontem 31; Petronii epigr. 38, 3 sqq. (ed. Buech.).

1) Et mingens in notatione agnoscitur in anaglypho illo apud Clarac II tb. 132 n. 112.

Haec igitur illa Alexandrina pusionum linguae protervitas est, quae quia ipsos decet, et veniam habet et eos quos pungit amara dulcedine demulcet. Haec denique illa garrulitas, quam Catullus quoque in Camerio plurimi aestimavit. Tandem enim perspicere credo cur ille in gravissimo exitu poematis sic sibi adhortandum Camerium putaverit, ut diceret: »si apud puellas mansurus es, licebit; at loquere saltem; sine verbosa enim loquella Venus omnis perit« (cf. p. XXXV). Perspicitur porro cur ego versum 17

»Me unctae lacteolae tenent puellas«

ita ut dedi emendarim et accipiendum putarim (cf. p. V). Scilicet Catullus haec verba ex persona Camerii profatur atque Camerio suo loqui recusanti praeit ea pronuntians. Sic enim fit; puerulus si obmutuit, digitos sugit obstinanter tacens silensque ut stipes, ut lapis. Catullus adblandiens: loquere mihi, loquere, vel hoc saltem dic: »apud puellas manere volo«. Denique in eo summa poetae desperatio pingitur, quod Camerio concedit: licet obseres palatum, dummodo vestri amoris particeps fiam (v. 21 sq.; cf. p. V).

Atque sic tandem de garrulitate transactum est. Ubi vero negotium quiescit, paucis animum reficere conceditur et ad transacta retrospectare et recolligere quae dissipata sunt. Nec deerit fortasse qui etiam in penitissimam harum rerum cognitionem et in causam earum si fieri possit primariam se insinuare velit. Quaeritur enim, unde illo aevo potissimum non solum Amorum imaginum, sed ipsorum pusionum tanta affectatio nata sit? Cuius quaestionis responsum quidem sibi quisque ex arbitrio excogitet, dum modo ad mores generis humani semper quidem sibi constantes, eosdem vero per tempora variatos sedulo respiciat. Hoc unum dehortor, ne forte libidinosam tantum voluptatem vel improbam luxuriam consuetudinis fontem unicum aut principalem fuisse opinemur. Versamur enim in eo fere saeculo quo etiam Iesus dominus infantes et ad se venire iussit et amplexatus est.

Haec saecula, quibus originem cepit christianismus, haec ipsa sunt, ubi iam omnes ubique mortales spem immortalitatis animarum captabant et innocentiae plenae recuperandae desiderio incendebantur. Tu vero totum animum modo impende in contemplationem infantium ludentium garrientium profusorum vel in lacrimas vel in cachinnum: desubito relaxaberis ingenua illa ignoratione infortunii et sceleris per intima praecordia delectatus et curas evanescere et animi nubila serenari persenties et infantium regnum caeleste esse fatēberis. Sic tum beatus ille videbatur qui frui aspectu eorum poterat quam maxime.

In mortuorum vero sepulchris tum quidem etiam mortis oblivionem cupiebant, vitam sempiternam per spem ac metum amplexabantur. Atqui huius vitae aeternae pura intemerata et innocentiae plena gaudia esse credebant sperabant exigebant. Sic factum est ut infantium ipsorum ludentium idolis etiam sarcophagos exhilarare placeret; quibus pueris alas insuper adiciebant ut infinita sive divina gaudia haec esse significaretur. Denique hac quoque via ex infantium amore Amorum amor derivatus est.

VII. Conclusio.

Desinit haec dissertatio primum quidem in conclusionem quae est de Camerio Catulli: Camerius quia nudus dicitur, quia exiguus describitur, quia ut garrulus sit, postulatur, ad pueros minutos aggregandus est fuitque in Catulli consuetudine quod Sarmenus in Augusti. Congruit quod per vocem *ipse* — i. e. »dominus« — sese induxit poeta v. 9 (cf. p. VIII). Atque non sine voluptate ut cum passere Lesbia, ita cum Camerio Catullus ludere consuevit tum maxime, ubi »carum nescioquid lubet iocari«. Quodsi »amicus« Camerius a Catullo vocatur, id cum risu laetissimo et eo consilio factum est, ut aenigmatis obscuritas adaugeretur; maiore etiam cum ironia pumilum suum Magnum appellavit Propertius, τὸν μέγαν Εὐμήχιον Lucilius (cf. p. IX adn. 3). Quia autem infans Camerius fuit, propterea puellas Catullo praeferebat; solent enim magis mulierculis adhaerere infantes, et feminas praecipue fuisse quae pusiones alerent, Dio tradidit ¹⁾.

Sed enim unum usque adhuc intactum reliquimus, neque dum toti in Catullo sumus, Lesbiam elegantiarum peritissimam patronam satis curavimus; atqui ne Lesbia quidem in passere suo se continebat; neque est cur latius evagari voluerimus, cum quod prosit proxime ad manum iaceat. Res est ridicula et nimis iocosa; habuit etiam Lesbia pupulum suum. Adhuc tractavimus Catulli c. LV; procedamus ad proximum c. LVI:

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
 Dignamque auribus et tuo cachinno.
 Ride quidquid amas, Cato, Catullum:
 Res est ridicula et nimis iocosa.
 5 Deprendi modo pupulum puellae
 Trusantem; hunc ego, si placet Dionae,
 Pro telo rigida mea cecidi.

Vocem *pupulus*, ubi de deliciole res est, adhibere vidimus Senecam epist. 12, 3 (p. X); neque extraordinaria vel »nimis iocosa« haec res foret si de puero ad maturitatem vergente ageretur; immo puerulus motum turpem trudendi (v. 6), quem forte apud alios viderat, inscius imitatus erat ²⁾; hinc risu percutitur Catullus. Quod autem omnino lasciviae inservire videmus infantem, conferatur Martialis IV 87 et indignae de Tiberio fabulae apud Suetonium et Iuppiter cum Ganymede apud Lucianum dial. deor. 4, 5 et quae Matzjus l. l. exposuit sub n. 1117 ubi de infante fere bimulo res est ³⁾.

1) Supra p. XXXVI et XXXII. Ita Bassa alit infantem Martial. IV 87 (p. X).

2) Id qua ratione fieri potuerit, indicat ipse Quintilianus I 2, 7, ubi de infantium perditis moribus nos docuimus, ex nobis audiant. Nos/ras amicas, nostros concubinos vident; omne convivium obscenis canticis strepuit; pudenda dictu spectantur.

3) Nec mihi neglegatur, quod Cicero pro Caelio 36 ad Clodiam dicit; est vero Clodia Lesbia: ex istis tuis sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem ... qui te amat plurimum, qui propter nescioquam timiditatem ac nocturnos quosdam inanis metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit. Hic igitur et pusio est et minimus frater, et quia tam puerilis aetatis est, cum risu Socratico praetendit Cicero eum cum Clodia non cubitare nisi »propter nocturnos metus«; infans enim si solus noctu relinquatur, timere solet.

Iam vero cum cura nec sine ratione carmina minora Catulli adornata esse abunde ab aliis demonstratum est; qua in re et variationis studium observari potuit et id consilium, ut argumenta cognata vicino loco collocarentur. Certe igitur coniecturae meae quae est de Camerio Catulli pusione id favet, quod in proximo poemate de pupulo puellae rem esse videmus. Simul memoro, minus urgeo tamen etiam proximum carmen LIV incipere ex *Othonis caput oppido est pusillum*, deinde in c. LIII pronuntiatum esse illud *salaputtium disertum* de Calvo qui »parvolus statura« fuit. Fateor tamen etiamnum mihi verisimile videri quod olim commendavi ad LIV 1 *Othonis caput oppido est putellum*¹⁾; sic nempe *putidum caput* contumeliose dicitur Vergil. Catalept. 3, 2; 4, 1.

Munus vero etiam unum superest, nec id si refugerimus, vera haec conclusio erit. Commonendum est enim inter Camerium et ipsum Amorem peculiarem parilitatem intercedere nescio quam, talem vero ut conscio nec inscio poeta ortum ceperit.

Similitudo tribus potissimum rebus efficitur. Et primo fugitivi sunt ambo et anquiruntur (cf. p. XV sq.). Deinde Camerius sive in pectoris angulo inter papillas sive in rosis consedit, de Amore consimilia rettulimus (p. XVI et XVII). Denique Camerius tam prodigiosa vel celeritate vel fugiendi habilitate insignitur ut nec Ladas nec Rhesi bigae nec ventorum celerrimus eum consequi queant; celeritas vero in nullo clarior fuit quam in Cupidine. In postremo hoc autem diutius subsistendum est.

Et verum est etiam de homine adultae aetatis simile quid iactatum esse in Alexidis comoediis (fr. 201 Kock.):

ἔμοι παρασιτεῖν κρεῖττον ἢν τῷ Πηγιάσῳ
ἢ τοῖς Βορειάθαις ἢ εἴ τι θάττων ἔτι τρέχει
ἢ Δημέε Λάχρητος Ἐτεοβοιτιάδῃ.
πέτεται γὰρ οὐχ οἶον βαδίζει τὰς ὁδοὺς.

Id quod condicionali orationis forma olim Tyrtaeus extulerat fr. 12, 4: οὐδ' εἰ ... τικώη .. θέων Θοιῖκιον Βορέην; item Theognis v. 715. Sin autem de pusillo Camerio Catullus exclamat in carmine LVIIIb: etiam si Bellerophon, si Perseus ventorumve velocissimus esset, fore, ut peresus multis langoribus deficeret amicum quaeritando, etiam maius miraculum id esse intendebat poeta. Proprium autem hoc quoque Cupidinis est. Qui ὠκνός apud ipsum Meleagrum anthol. Pal. V 177, 3, πάις ὠκνὸδης praedicatur apud Nonnum Dion. 41, 132; Constantinus autem grammaticus c. II (Bergk.) v. 51 sqq. et 71 sq. haec de eo:

ὑπερίτατο πλανῶν με
λιβίδων ὑπερθε παίζων
ἔκαμον τρέχων ἐλαύνων.
ἀπεπανασίμην διώκων . . .
δροσερὸς εἰς λιβίδας πολλὰ διώξας
τὸν Ἔρωτα βροχίσαι οὐκ ἐδυνήθην.

Quin etiam Propertius ad Amorem verba fere eadem detorsit quae apud Catullum de Camerio leguntur, ipsius huius Catulliani flosculi rhetorici fortasse non immemor, II 30, 2 sqq.:

1) De re libraria p. 403 adn. 4.

usque sequetur Amor.

Non si Pegaseo vectaris in aere dorso
 Nec tibi si Persei moverit ala pedes
 5 Vel si te sectae rapiant talaribus aurae,
 Nil tibi Mercurii proderit alta via.
 Instat semper Amor supra caput eqs.

Iam si imaginationi liberiores frenos dabimus, supponere possimus (id quod sapius accidere potuisse supra monitum est) Catullum ita cum puero suo minuto ludere consuevisse, ut ipsius Cupidinis ornatum eum exornaret, alis scilicet. Quod si faciebat, Amorem tamquam vivum alebat, facultates proprias Cupidinis Camerio in poemate tribuebat. Et ille quoque Cupido qui in c. LXVIII v. 133 Catullum et Lesbiam hinc illinc circumcursat, erat fortasse Camerionum aliquis simili ratione investitus.

Quod utut est — talia enim quis refutabit? quis probabit? quis sustinebit serio? — errori uni saltem praestruendum erit; hoc enim certe curiose cavebimus, ne forte modico Camerio veram pedum pernicitatem atque maiorem quam ipsi Catullo in c. LVIIIb vindicatam esse putemus; neque enim Camerius recta via sub oculis persecutoris aufugit; immo »quaeritat« eum Catullus (*defessus quaeritando* v. 10); ergo si debuit quaeritari, non per currendi velocitatem, sed per dolum tantummodo et occultandi artem salutem petebat. Igitur muris sive mustelae instar in latibulis ad viam variis multis semperque novis parvus ille se abdit; is qui per plateas urbis ad latibula haec omnia frustra curret, licet Perseus sit pinnipes, tamen defatigatus desperabit; potest enim Camerius — digitus ille, non homo — se occultasse sub rosa, sub libri pagina vel sub salino.

Nos vero et ipsi quoque »defessi omnibus medullis multisque langoribus peresi« iam finem faciemus quaeritandi. Nec desperatione opus erit; quin immo etiam apprehendisse abstrusum fugitivum et manibus tenere nobis videmur neque veremur, ne quis doctior amator, quasi si umbram captaverimus, iterum eum anquisiturus sit.

Additamentum ad p. XXIII sq.

Ad ea quae p. XXIII sq. de Amore alas exuente induente adumbravi, apte adferri poterant etiam comici versus apud eroticos inferioris aevi recepti (com. fr. adesp. 172 Kock.):

ταχὺ γὰρ ἐλπίσας
 Ἔρως πτεροῦται, κατ' ἀπελπίσας ταχὺ
 πτερορρεῖν εἴωθεν


quamquam hic minus Amor personatus agnoscitur quam vis amoris, cui cum spe pinnae crescunt, decidunt ubi spes deficit. Nihilominus si quis de pennis amoris verba serebat, deum semper simul cogitaret necesse fuit; et illud πτερορρεῖν etiam de Icaro plumas mittente usurpavit Lucianus Icar. 3.




I




II



V



VI




III



IV



VII



VIII



IX